

**Physica hominis sani, seu explicatio functionum corporis humani / auctore  
Nicolao Jadelot.**

**Contributors**

Jadelot, Jean-Nicolas, 1738-1793.

**Publication/Creation**

Nanceii : Sebastiani Bachot, 1778.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vhvkuufha>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



30169/L



Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30537137>

30.

PHYSICA  
HOMINIS SANI,  
SEU EXPLICATIO FUNCTIONUM  
CORPORIS HUMANI.

*Auctore NICOLAO JADELOT,  
Regis Consiliario & Medico, Anatomiæ & Physiologiæ in Universitate  
Nanceiana Professore, Academiæ  
Regiæ Scientiarum & Artium Nan-  
ceianæ socio, Nosocomii Sancti Ca-  
roli ejusdem urbis Medico.*



NANCEII,  
Ex Typis SEBASTIANI BACHOT, Regis & Universitatis  
Typographi, Bibliopolæque Jurati.

PARISIIS, apud FRANCISCUM DIDOT, juniores.  
ARGENTORATI, apud AMAND. KÖNIG, Bibliopolam.

M. DCC. LXXVIII.

SUPERIORUM PERMISSU.



TO THE LIBRARY  
OF THE COLLEGE OF  
PHYSICIANS & SURGONS  
BY THE HISTORICAL  
MEDICAL LIBRARY  
OF THE WELLCOME TRUST  
AND THE BRITISH MUSEUM  
OF MEDICAL SCIENCE

1950  
RECEIVED  
BY THE LIBRARY  
OF THE COLLEGE OF  
PHYSICIANS & SURGONS  
ON BEHALF OF THE  
WELLCOME TRUST  
AND THE BRITISH MUSEUM  
OF MEDICAL SCIENCE.

1950  
RECEIVED  
BY THE LIBRARY  
OF THE COLLEGE OF  
PHYSICIANS & SURGONS  
ON BEHALF OF THE  
WELLCOME TRUST  
AND THE BRITISH MUSEUM  
OF MEDICAL SCIENCE.

## MEDICINÆ CULTORIBUS


## A U C T O R.

**H**Æc debet esse præstantissima tractuum elementarium qualitas, ut ordine exacto & facili, stylo simplici brevitate & claritate simul perspicuo exarentur. Ita ad abstrusiora Tironibus commoda panditur via. Plures in hunc finem Doctissimi Medici varia jam ediderunt opera, quibus aperto & calcato tramite ad sacra apollinis accedatis. Horum vestigiis insistens, & quæ bona sunt ex illis accipiens, explicationem Physiologicam omnium functionum lectionibus ulterius investigandam in vestrum commodum adornare debui. Difficiliora breviter elucidare conatus sum, observationes comparavi, authoritates estimans ad experientiæ trutinam, certiora accipiens, dubia exponens, de ignotis nihil afferui, causarum studia reliqui, systemata ablegavi, tandem veram Philosophiam in omnibus scientiis necessariam, quantum potui, sestatuimus. Ita patuit organismus seu mechanismus vivus in animalibus admittendus quem recentiores Mechanico-or-

ganici post Helmontium , Stahlium & asseclas benè perspexerunt. Quippe machina sensu & activitate donata legum materiæ inactivæ dominio subjici recusat. Inde innumeros errores Mechanicorum arguere non dubitavimus.

Multa in hoc opere sibi vindicare debet Illustrissimus HALLERUS qui non tantum omnium ætatum labores vastâ & admirabili eruditione, ad artis maximum emolumentum , collegit , censuit & estimavit, sed omnem Medicinæ ambitum innumeris inventis amplificavit.

Ordo in nostro opere observatus aliquibus forsan non placebit, eò quod singularum functionum specialis & separata exhibetur investigatio , licet aliæ ab aliis pendeant & mutuum nexum sibi præbeant ; sed in tam complicatæ machinæ studio, generalem omnium functionum considerationem minus adæquatam credimus , & methodum acceptam pro Tironum manudictione credimus præstantiorem & faciliorem.



---

---

## EXTRAIT

*Des Registres de l'Académie Royale des  
Sciences & Belles Lettres de Nancy.*

M." HARMANT, DE BONNEVILLE & PETIT, chargés de l'examen d'un Ouvrage de M. JADELOT, intitulé : *Physica Hominis sani, &c.* en ayant fait le rapport à l'Académie, la Compagnie a permis que cet Ouvrage parut sous son Privilege, & que l'Auteur y prit le titre d'Académicien.

En foi de quoi je lui ai expédié le présent Extrait, à Nancy le 26 Août 1777.

DE SIVRY.

---

---

## APPROBATIO.

NOS DECANUS & PROFESSORES  
Facultatis Medicæ in Universitate  
Nanceiana ; cum Collega noster D.  
NICOLAUS JADELOT proposuisset  
edere suam Physiologiam ad usum  
Scholarum , pro Philiatorum com-  
modo : tali proposito libenter annuen-  
tes hunc Librum Perlegimus , Appro-  
bavimus & dignum qui Typis mande-  
tur censuimus.

Datum in Scholis nostris , die 28  
Augusti , anni 1777.

TOURNAY , Facult. Decanus , & Med. præt. Professor.

GUILLEMIN , Materiei Med. & Botanic. Professor.

MICHEL , Chimiæ Professor.



## PROLEGOMENA.

*Quæ Medicinæ contemplationem generalē & divisionem exhibent.*

I. **M**EDICINA est scientia eorum omnium quorum applicatorum effectu sanitas conservatur & morbus sanatur. Sanitas est illa vitæ conditio in qua actiones omnis generis cum facilitate, oblectamento & quadam constantia exercentur. Morbus est status oppositus, ubi nempe aliquæ actiones vel plane non, vel cum dolore & molestia peraguntur.

II. Medici ergo officium est ut corpus humanum sanum conservet, ægroto amissam sanitatem restituat. Hinc duo ab eo potissimum veniunt disquirenda, 1.<sup>o</sup> Corpus sanum, 2.<sup>o</sup> corpus ægrotum. Debet propriis signis dignoscere sanitatem & morbum. Tenetur dirigere usum eorum quæ ad vitam sustentandam sunt necessaria. Tandem morbos non sanabis nisi ea quæ sunt ad sanandum necessaria dijudicet ex morborum natura, & nisi ad manus habeat instrumenta quorum ope morbos destruat. Ita patet totius Medicinæ ambitus.

III. Hujus scientiæ principia complectuntur institutiones medicæ quæ ad duo capita generaliora rev-

eari possunt, Physiologiam nempe & Pathologiam. Utraque vero tres partes sub se comprehendit. Institutiones Physiologicæ sanitatis doctrinam tradunt, & tria in ipsa medico veniunt disquirenda. 1.º Causæ & fons sanitatis. 2.º Signa sanitatis. 3.º Modus conservandi sanitatem. Hinc triplex deducitur institutionum Physiologicarum pars. Institutiones Pathologicæ quæ statum morbosum considerant triplici etiam sectione conficiuntur, morborum doctrinam, eorumdem signa & methodum sanandi tradunt.

IV. Institutionum Physiologicarum pars prior usum partium, vel naturam corporis humani, sive œconomiam animalem explicat. Dicitur Physiologia quæ statum sanum ex Anatomia & organismo corporis viventis deducit. Quoniam vero corpus humanum ex solidis & fluidis partibus constat quarum motus & actio vitam facit, leges omnibus corporibus proprias seu mechanicas, staticas, hydrostaticas & hydraulicas, tum & fabricam organorum perspectam supponit, scilicet Physicam & Anatomiam pro fundamentis habet Physiologia, quibus adjici debent observationes & experientiae ex corpore vivo sano vel morboſo desumptæ, tum & Chemica mixtionis solidorum & fluidorum analysis.

Secunda pars institutionum Physiologicarum semeiotica sanitatis dicitur, & signa sanitatis tum generalia tum specialia tradit.

Tertia pars institutionum Physiologicarum indicat modum conservandi vitam & sanitatem : hygiene vel diætetica nuncupatur. Usum sex rerum non naturalium, aëris scilicet, cibi & potūs, somni & vigiliæ, motūs & quietis, excretorum & retentorum, animi tandem pathematum docet.

V. Institutionum Pathologicarum pars prior est Pathologia quæ scientiam morbi exhibet ; & cum tria in morbo quocunque consideranda veniant, differentiæ nempe, causæ & symptomata , ideo triplici capite componitur pathologia, nosologiâ nempe æthiologâ & symptomatologiâ.

Signa morborum declarat semeiotica pathologica. Alia verò signa morbi naturam indicant & dicuntur pathognomonica , alia præteritum statum declarant & dicuntur anamnestica , alia præsentem statum patefaciunt & dicuntur diagnostica , alia futurum statum præsagiant & prognostica nuncupantur.

Tertia pars institutionum Pathologicarum therapeutice dicta methodum medendi indicat. Tria verò munera absolvenda habet Medicus. 1.º Debet conservare vitam. 2.º Tollere causas morbi & auferre ipsum morbum. 3.º Abigere effectus morbi præsentes. Triplicem hanc indicationem tractat therapeia , vitalem nempe , curatoriam, & symptomaticam seu palliativam.

VI. Ubi Medico ex therapeia notæ sunt indicationes ad sanandum tendentes , requiruntur instrumenta quorum ope mutationes necessariæ inducantur. Horum cognitionem , selectum & usum inter omnia corpora naturalia recenset materies Medica. Hæc scientia medenti admodum necessaria historiam naturalē, chemiam & pharmaciam sub se comprehendit , seu historicam omnium corporū naturalium disquisitionem , chemicam eorumdem mixtionem per ignem & menstrua detectam , tum cōpositorum pharmaceuticam combinationem , ut ex experientia & ratiōcinio , eorum in corpus humanum energia pateat. His adjungi debet methodus hæc remedia administrandi seu ars formulas concinnandi.

VII. His instructus Medicus ad therapiam speciem deveniet & medendi methodum in unoquoque morbo addiscet. Hæc est praxis quæ in duas partes dividitur, quarum una praxis medica dicitur & morbos internos spectat, altera praxis chirurgica morbos externos declarat, quæ ambæ necessariò inter se connectendæ sunt.

Sola verò cognitio morborum & remediorum sine exercitatione non sufficit: hinc ægrotos Medici juniores cum senioribus invisere coguntur, ut normam habeant principia sua observationibus tum propriis tum alienis freta ad praxim applicandi. Ad hoc mire proficit adhuc observationum medicarum sedula lectio.

Sic adumbravimus universæ Medicinæ ambitum, unde patet utilissimam hanc scientiam & nobilissimam etiam esse difficillimam, quippe ratiocinio & experientiâ innixa ingenium observationis & sedulæ attentionis capax exigit.





**P H Y S I C A**  
**H O M I N I S**  
 S E U  
**PHYSIOLOGIA.**

I.



X actionum exercitio pendet vita. Omnes vero actiones ex fluidorum & solidorum naturâ, mixtione, structurâ & motu pendent. Illas Medici in vitales, animales, naturales & sexuales dividere solent.

Actiones vitales sunt illæ sine quibus vita hominum subsistere nequit, ita actio cordis & conexorum vasorum seu circulatio sanguinis, ita respiratio, actio cerebelli & medullæ oblongatæ.

Actiones animales eæ sunt quibus animal à reliquis corporibus animalibus, imprimis à vegetabilibus distinguuntur, vel ut alii volunt in quibus animæ operationes, intellectus & voluntas cooperantur. Huc ideo sensus externi & interni, motus muscularis voluntarius referuntur.

Actiones naturales dicuntur illæ quibus assumpta sic mutantur ut in naturam nostri corporis abeant ; sunt nempe digestio , chilificatio , sanguificatio , secretio & excretio , tandem nutritio , quibus omnibus id efficitur ut corpus humanum conservetur & crescat.

Actiones sexûs illæ sunt quibus ex unione sexuum novus homo generatur.

II. Ordinem aliquem ad tradendam Physiogiam assignare difficile est , cum omnium illarum actionum mutua sit dependentia , & classes assignatae non exactè circumscribantur. Hinc eam methodum assumemus ut post consideratam generatim solidorum & fluidorum corporis animalis naturam , sanguinis motum intra vasa majora pro circulatione , & minora pro secretionibus , dein respirationem exponamus ; unde ad actionem cerebri & nervorum transibimus , hinc alias secretiones & speciales viscerum functiones exhibebimus ; generationem tandem & nutritionem pro ultimo Physiologiæ complemento explicare tentabimus.

III. Ad omnium harum functionum explicationem assumemus demonstrata in anatomicis , in physicis , in chemiâ , tum experimenta , incisiones cadaverum & animalium vivorum. Nova inventa quæ à Celeberrimis Viris adducuntur non prætermitemus , varias hypotheses tradendo ratiocinia nostra subjungemus , dependentiam animæ & corporis , quantum licebit , inquiremus , hypothesis studium ablegabimus , ad certa tandem principia hanc scientiam revocare nitemur.



## CAPUT PRIMUM.

*De partibus solidis corporis humani.*

IV. PRIMUM quod offertur in machinæ alicujus investigatione spectat naturam & indolem materiæ ex quâ conficitur. Corpus humanum constat partibus solidis & fluidis. Solidorum moleculæ vi intensiore inter se cohærent. Fluida moleculas per solum pondus vel per vim minimam separabiles habent. Harum qualitatum gradus plurimi sunt. Solida partes continentes, fluida partes contentæ etiam vocantur.

V. Partes solidæ componuntur ex partibus minimis quasi elementaribus quæ fibræ dicuntur, suntque fila tenuissima ejusdem naturæ ac organum cuius prima stamina constituunt. Hoc docet anatomica dissecçio & microcospium ad ultimam divisionem nondum perveniens. Si fibram simplicissimam ratione potius quam sensu assequi tentamus, seriem corpusculorum sive minimarum molecularum certâ vi inter se cohærentium ut assumamus necesse est. Ex pluribus talibus unitis fit ultima fibra visibilis.

VI. Particulæ terreæ ad calcariam naturam accedentes, actioni ignis, aëris vel menstruorum resistentes basim fibræ constituunt. Demonstrat ustio, diuturna putredo. Illæ verò particulæ non à se ipsis sed ab interposito glutine vinculum habent & vim cohæsionis. Probat coctio carnium, ossium; aquam, oleum & moleculas martiales offert chemica analysis omnium productorum animalium. Videtur præterea aër fixus ad elementorum unionem inservire.

VII. Elementa ergo omnium fibrarum sunt terra, gluten, aqua, oleum & aër. An præter hæc alia admittantur, an ex illorum principiorum diversâ proportione vel combinatione oriatur fibrarum diversitas, unde pendeat elasticitas & soliditas adhuc latet. Multiplex verò solidorum genus exhibit Anatomia, ossa nempe, cartilagines, ligamenta, membranas, musculos, tendines, nervos, viscera, textum cellulose, vasa. Hæc sunt quæ offerunt solida non viventia.

VIII. Si in proprietatibus essentialibus fibrarum viventium hæreamus, triplex in genere earum species in corpore animali distinguenda est. Nempe fibra musculosa quæ ad applicationem stimuli se contrahit. Hæc proprietas dicitur irritabilitas quæ fibræ musculari propria & essentialis, à nervis non pendet primariò. Hæc fibra teres, longa sub fasciculis majoribus vel minoribus qui musculi dicuntur reperitur, omnium motuum voluntariorum & automaticorum fons est & sedes.

IX. Secunda species fibræ est membranosa vel cellulosa quæ sub forma laminæ ubique occurrit. Quippe hujus generis est amplissima illa corporis humani portio quæ cellulosa tela dicitur de qua parum dixerunt veteres, sed hujus dignitatem bene intellexit *Stahlius* sub nomine porosæ substancialiæ, melius verò descripsérunt Clariss. *Hallerus* & *de Bordeu*.

X. Per se insensibiles sunt fibræ musculosæ & cellulosæ, seu nullam perceptionem excitare possunt. Hanc proprietatem animali propriam sola conciliat fibra nervea medullæ nervorum continuatio quæ ad partes distributa ipsas sensationis capaces reddit, quando non intercipitur communicatio cum cerebro vel cum ipsius continuatione.

XI. Multiplici ergo genere fibrarum conflantur partes solidæ corporis humani, substantias parenchymatosas veterum rejicimus, sed credimus potius omne quod non est musculosum aut nerveum ad textum cellulosum referri debere. Quippe partes membranosæ, vasa, viscera, cartilagines, aponeuroses, tendines, ligamenta, ossa ipsa ex illo exsurgunt juxta experimenta *Halleri*, & in illum resolvuntur per cultrum anatomicum & macerationem. Hujus organi dignitas ulteriore inquisitionem exigit.

XII. Fibræ & laminulæ textum cellulosum componentes variâ direktione intercipiunt spatiola & areolas quæ invicem communicant per totum corpus. Demonstat aër per vulnus exiguum pulsus illas permeans, emphysema producens, ita pus, aquæ, humores ab una parte ad aliam licet diffitam penetrant. Sub cute congesta cellulosa tela laminas & propagines mittit ad omnia fibrarum intervalla, superficiem viscerum ambit, ipsorum textum pro majori parte componit, vasa, nervos alligat, firmum cum mobilitate omnibus partibus præstat vinculum, & contiguas separat, summae tandem utilitatis est in corpore animali. Alibi laxa areolas patentes habet, alibi tenuis est & brevis; adunantur strictius ipsius laminulæ in duriorum partium compositione.

XIII. Omnes partes solidas pro fasciculis vasculorum infinitâ serie decrescentium habuerunt aliqui; sed vasa certè non constituunt naturam membranæ, ad ipsam accedunt, inter cellulosa folia repunt, neque infinitâ serie decrescunt. In foetu numerosiora vasa sensim ætate delentur, gluten intermedium augetur & densatur; nonne gelatina in foetu cellulosa spatia occupat, nonne fibræ cellulosæ ex concreto vapore pulmonis vel pure spissato enascuntur, placenta croris, polypus,

sericum, callus ossium ex fluidis per concretionem etiam formantur.

XIV. Præter irritabilitatem fibræ musculosæ essentialem & sensibilitatem propriam fibræ nerveæ, est & alia qualitas omnibus partibus mollibus vivis inhaerens, vim tonicam dicimus. De hac participat textus cellulosus qui inde tanquam iners in corpore vivente reputari non debet. Est vis viva quæ agit tendendo omnes partes & illas ad actiones exercendas disponendo. In statu morboſo diversimode alterari potest, in cadavere deficit.

XV. Aliam adhuc vim organicam agnoscimus fluidis vivis innatam. Exemplis facilius illustratur quam explicationibus intelligitur. Si fames ad alimenta invitet, actione organicâ affluit saliva ad os, tentigine venereâ intenduntur instrumenta generationis; organum adhuc observatur in secretione & excretione lacrymarum, seminis, lactis, succi pancreatici, sudoris, urinæ, tum in statu fano, tum in statu morboſo, in arctatione & dilatatione pupillæ, tandem & in omnibus functionibus est necessarius. Ratio vis tonicæ & organicæ ex mechanismo non intelligitur, sed vitæ & sensibilitatis utraque est effectus. Inde percipitur leges mechanicas strictè non applicari posse ad machinam animalem.

## C A P U T II.

### *De fluidis corporis humani.*

XVI. FLUIDA corporis humani cum aliis fluidis rerum naturæ in pluribus conveniunt, tenacitatem tamen & densitatem aqueâ majorem habent; hinc

proclivia sunt ad conjunctionem cum fluidis quorum elementa gerunt; solidorum massam in compositione animali superare videntur, ad fermentationem putridam maxime inclinant.

XVII. Fluidorum naturam & compositionem non docet microscopium, sphærulas majores vel minores diversimode coloratas tantum detegit, neque destillatio chemica quæ aquam, spiritum, oleum, sal volatile & terram ex omnibus educit. In hac tamen generali consideratione dicimus fluida corporis humani esse congeriem molecularum aquearum, salinarum, oleofarum & terrearum cum aëre diversimode combinatorum, ex quarum unione exsurgunt partes integrantes juxta se invicem fluxiles: ferrum ipsis inesse aliqui addunt. Hæc fluida animalia dicuntur humores, & alii sunt recrementitii, alii excrementitii. Piores secreti ad aliquos usus retinentur, posteriores tanquam inutiles & noxii è corpore amendantur. Omnes specialiter investigandos offeret Physiologicus ordo.

XVIII. Fluidæ partes intra firmas continentur, partim intra vasa motu perenni agitantur, partim in telâ cellulosa tardius moventur, vel quodammodo quiescunt, partim in magnis cavis colliguntur & suo tempore expelluntur. Per totam vitam agitantur, miscentur, separantur, mutantur. Ad illarum actionum explicationem non sufficiunt leges hydrostaticæ, hydraulicæ, neque chymicæ. An fluida ex se moveantur, an à solidis motum accipient ibi non inquitimus.



## C A P U T III.

*De circulatione sanguinis.*

XIX. HANC functionem omnibus præmittimus, quippe vitæ fontem ad omnes partes defert, & ex hac aliæ fluunt, licet ab aliis vicissim ipsa pendeat. Ad arduam verò hanc doctrinam evolvendam, canarium sanguinem vehentium examen præmittemus, iter ejusdem sanguinis intra vasa per experimenta demonstrabimus, dein cordis structuram, actionem & vires inquiremus, sanguinis humani naturam & compositionem declarare tentabimus, tandem veras circulationis leges, seu sanguinis moti phœnomena, causas & effectus tum in arteriis, tum in venis explanare nitemur.

## S E C T I O P R I M A.

*De vasis arteriosis & venosis.*

XX. Arteriæ sunt canales circulares, membranosi, verè cylindrici, in ratione tamorum decrescentes. Trunci duo sunt, unus ex ventriculo cordis dextro, alter ex ventriculo sinistro oritur, inde variè inflexi & ramosi ad omnes corporis partes distribuuntur. Tribus constant tunicis. Membrana exterior falso dicta fuit tunica, cum sit continuatio pleuræ in thorace, peritonei in abdomen, duræ menyngis in capite. Pro primâ verò tunicâ censetur textus cellulofus arteriæ ubique circumjacens, qui illam retinet & vicinis annexit. Vasa & nervi hunc textum percurrunt, qui firmum præstat involucrum, laxius

in fœminis ac in viris, si fides sit Celeberrimo D. *De Lafone* aët. *Acad. Paris.* ann. 1756. vascularis, adiposa, glandulosa à variis dicta fuit hæc tunica, sed facilè in textum cellulosum per macerationem tota reducitur.

**XXI.** Hanc sequitur tunica densa & robusta, fibris circularibus parallelis evidentibus constans. Facilè dividitur in plura strata, per textum cellulosum connexa. De naturâ musculosâ hujus tunicæ non dubitant Anatomici; hanc qualitatem non demonstrant inspectiones nec experimenta, quippe nullâ irritabilitate donatur, sed validum robur elasticitatis habet; tendineam, ligamentosam esse aliqui estimant. Tertia tunica merè membranosa, lævis, stricta & tenuis fibras dictas obducit & æqualem reddit ipsarum superficiem. Plicis aliquibus notatur ad originem rami-  
rum. Hanc nerveam nonnulli ineptè dixerunt.

**XXII.** Arteriolas & venas habent tunicæ arteriarum à vicinis truncis natas, in plurimis locis vi-  
fibles, præcipue in junioribus. Reticulata & ramosa,  
hæc vasa in exteriori celluloso textu cum nervulis  
exiguis repunt, qui etiam à gangliis & plexibus  
vicinis procedunt. Sensibilitate minori prædictas ar-  
terias demonstrare videntur experimenta. Irritibili-  
tatem exigeret natura muscosa. Magnâ verò vi  
contractili elasticâ donantur, ut ultra diametrum  
distenta cavitas se restituat. Robur illud à textu  
celluloso ambiente & fibris secundæ tunicæ pendet, ita  
ut quamvis minus cedant, facilius rumpantur. Arteriæ  
fere semper profundè constitutæ sunt, ut tutum sit  
earum iter.

**XXIII.** Ex arterioso trunco rami prodeunt, ex  
istis minores ramuli, & sic porro multiplicatâ divi-  
sione cuius terminus est maxime incertus & variabilis.

Ramorum junctim sumpta lumina semper majora sunt lumine trunci, sed proportionem veram neque calculi Keiliani neque alii stabilire potuerunt. Fere subsequi alteram invenit Clar. *Hallerus*. Sed in his rebus nihil certi & constantis esse fateamur.

**XXIV.** Anguli ad quos rami ex truncis exeunt sat inconstantes esse docet anatome, saepius tamen acuti, semirecti aut semirectis vicini, aliquando recti, rarius obtusi deprehenduntur, quae lex in minimis arteriis etiam observatur. Flexuosa directiones frequenter habent & communicationes inter se alunt, scilicet rami invicem coeunt, vel collaterales occurunt, & aliis divisionibus iterum communicantibus originem praebent, vel per ramos intermedios uniuntur. Hæ verò anastomoses in minoribus ramis frequentiores sunt ac in majoribus; harum utilitas facile perspicitur.

**XXV.** Arteriola minima continuato canale in venulam abit, ita ut arteria reflexa jam sit venua; vel ramus arteriosus in ductum secretorium terminatur qui varie fabricatus & contortus in diversis visceribus humorē à sanguine diversum præparat. Alius finis est in textu celluloſo, vel extra corpus, vel in diversis cavitatibus, quo liquidum tenuius exhalatur; arterias enim ibi patere innumera evincunt phœnomena. Sanguinem suum etiam aliquando de reſecto quaſi fine deponunt. Ultimus tandem finis est in vascula minoris generis liquorē non rubrum vehentia.

**XXVI.** An ubique in corpore humano vasa nata ex rubris, sed sanguine tenuiorem vehentia humorē aliis canalibus minora adhuc producturis vascula dant originem? Aliqua hoc suadent. Sed an ideo vasa arteriosa rubra primi generis, flava ferosa secundi,

lymphatica tertii generis existunt, ex quibus alia minora, ex his alia adhuc tenuiora & sic porro ad innumerias divisiones? Non consentit facilis transitus sanguinis, mercurii, ceræ in vasa exhalantia, perfpirantia, urinifera, adiposa, & non difficillimus sanguinis error in vasa lactifera, lymphatica, quò non videtur perventurus, si per aliud sistema vasorum intermedium globulis sanguinis angustius, iter ipsis faciendum esset: neque finit admittere summa ex hac fabricâ oritura retardatio liquidi, perpetuò major futura in minoribus. Negat omnino facilis in textu celluloſo commoratio & egressus ex ipso.

**XXVII.** Venæ perinde ac arteriæ ad cordis ventriculos basim habent, apices in extremo quoque ramo; tenuior est earum fabrica, sed densior ac illa arteriarum, inertiores sunt, & non pulsant: his circumjacet cellulosa tela, sed non in talem crassitiem stipata ac in arteriis. Tunica quæ sequitur musculosa est evidenter in parte cordi proximâ. Fibræ vero contractiles in reliquo venarum itinere oculis non subjiciuntur, flexiles tantum quædam longitudinem venarum sequuntur. Minùs crassæ ac arteriæ, ipsis firmiores sunt, & impulso aëri magis resistunt, frequentius tamen in vitâ rumpuntur & extenduntur, quia in iis sanguis magis accumulatur.

**XXVIII.** Venæ ampliores sunt arteriis in ratione vix certâ quæ est 4:9, si credamus *Hallero*. Truncos habent numerosiores, & minùs profunda loca occupant ac arteriæ. Ex uno trunco prodeunt rami, qui ramos alios minores generant; & ut in arteriis, ramorum orificia majora sunt orificio truncī. Frequentiores anostomoses inter se habent quam arteriæ, inter parva & inter majora vasa notandas.

**XXIX.** Ab arteriis adhuc maximè differunt;

quod valvulas habeant: sunt nempe vela semicirculares in diametro canalis posita aliquando reticulata, parabolici digitabuli formam habent; versus cor concavitatem formant, & cedunt liquido ex minori ramo in majorem venienti. Reperiuntur in venis subcutaneis omnibus, in artubus, in venis colli, faciei, linguæ, & ad magnorum ramorum ortum. Nullæ sunt in viscerum profundorum venis, nullæ in cerebro, pulmone, corde, hepate, in systemate venæ portarum, in renibus, utero, nullæ denique in venis minimis. In venâ cavâ ad ostium hepaticarum rugæ aliquæ notantur.

XXX. Origines venarum sunt eadem ac fines arteriarum. Ab arteriis minimis nempe per insertos ramos ex reflexo trunco continuæ oriuntur. Aliæ ex venis resorbentibus in ambitu corporis universo, in cavo intestinorum, in superficie pleuræ, pericardii, peritonei & aliarum membranarum patulis nascentur. Sunt aliæ quæ ex tunicâ cellulari liquores varios & sanguinem ipsum in sanguinis massam refundunt. Præter vasa sanguinea, alia minora dantur ex illis nascentia, aut saltem cum illis communicantia quæ liquores varios de quibus in posterum agemus vehunt.

#### SECTIO SECUNDA.

##### *De directione motus sanguinis per arterias & venas.*

XXXI. Arterias & venas rubras continuò replet sanguis in vitâ. In cadavere arteriæ minorem sanguinis quantitatem habent; venæ plenissimæ sunt & turgidæ. Verùm is sanguis in vasis non quiescit; sed per arterias præcipue rapidè movetur, quod demonstrant vulnera per quæ citò ad mortem usque magna

magna copia sanguinis effluit. Probant etiam varia experimenta in animalibus vivis capta sanguinem intra arterias & venas moveri. Directionem hujus motus docent experimenta. Intra arterias sanguinem à corde ad partes fluere demonstrat ligatura in vivo animale; quæcumque enim arteria vinculo adstricta fuerit, ea tumet inter cor & partem ligatam, depletur inter vinculum & partem extremam arteriæ, neque ibi pulsat, neque sanguinem fundit aperta. Si eventus fuerit aliis, ramis aliquibus supra ligaturam communicantibus tribui debet. Tandem hanc directionem sanguinis arteriosi oculi testimonium confirmat.

**XXXII.** In motu venosi sanguinis definiendo erraverunt admodum veteres. Primus *Harveius* per experimenta hunc motum, quem suspicati erant *Cæsalpinus*, *Servetus*, *Fabricius*, ita demonstravit, ut nullus dubio locus supersit. Evidem valvulae venosæ ad veritatem ducunt; eae enim omnes flatum, ceram à remotiori fine venæ ad cor transmitti permittunt, ceræ & flatui à corde ad partes extremas reddituro resistunt & vix cedunt nisi fractæ. Ligaturæ in vivo homine rem evidentem faciunt; ligatis enim vel compressis venis brachii vel tibiæ, tumet artus undique sub vinculo, distenduntur venæ, turgent & apertæ sanguinem liberaliter fundunt, flaccescunt intra vinculum & cor. Tumet caput si ligata fuerit vena jugularis. Vincula nudatae venæ injecta idem probant. Hanc directionem venosi sanguinis tandem demonstrat microscopium.

**XXXIII. ASSERTIO.** Sanguis à corde per arterias in venas transit, per venas cordi redditur.

*Probatur.* Sanguis à corde per arterias ad partes omnes defertur (§ 31.), venæ sanguinem ad cor reducunt (§ 32.), sed adest communicatio inter

arterias & venas ; siquidem ex unâ sâpe arteriâ apertâ vel venâ , omnis sanguis ad mortem usque exixerit. Præterea ex arteriis minimis in venas minimas sanguinem transfire docet microscopium , æque ac injectio per unum truncum arteriosum replens arterias & venas. Ergo sanguis à corde per arterias in venas transit , per venas cordi redditur.

XXXIV. Nisi sanguis ad cor continuò rediret , novum semper afferre non posset ; porro ex transfusione sanguinis constitut sanguinem unius animalis , per venam alterius omni sanguine exhausti immissum , ejus cor & venas ita replere , ut sanum inde evaserit , circulante inter ipsius vasa alterius animalis sanguine , quod non feliciter successit , ubi ad humanum corpus applicarunt. Infusa in venas vel arterias liquida effectus suos coagulantes , venenatos , anodynosc , inebriantes , emeticos , purgantes , diureticos edunt. Saliva animalis rabidi , virus venereum ex uno puncto resorptum per omne corpus strages edit , manifesto argumento his omnia vasa penetrari.

XXXV. Denique microscopium in aliquorum animalium caudis , pedibus , mesenteriis extra dubium constituit sanguinem per arterias ad extrema delatum , vel in continuas venas , vel per ramos à trunco arterioso in parallelam venam communicantes transmitti , per venas ad partem cordi propiorem redire. Retrogradum tamen motum ex arteriis minoribus in maiores , ex trunculis venofis in ramulos viderunt observatores , propter aperturam vel obstructionem vasis , vel debilitatem animalis ad mortem accendentis , & semper multò minus regularis , constans & uniformis in vasibus capillaribus observatur fluidorum circulus ac in vasibus majoribus.

XXXVI. Itaque inter veritates physicas demonstratas, ab omnibus est accepta circulatio sanguinis. Nempe ex cordis ventriculo sinistro pellitur in aortam cuius ramos & ramulos subit, inde per venas minimas resumitur & ad majores traducitur, ex quibus ad venam cavam quae in ventriculo cordis dextro confluitredit: sed non est ita accipienda haec doctrina, quasi nulla existeret sanguinis particula quae non perpetuo motu feratur ad cor, vel ab ipso redeat.

Supereft ut via inveniatur quâ sanguis ex dextro ventriculo in sinistrum veniat, & modus quo agat idem cor. Hinc ordo nos dicit ad cordis structuram & actionem investigandam.

### SECTIO TERTIA.

#### *De structurâ cordis.*

XXXVII. Mediastini lateri sinistro adhæret saccus membranaceus obliquè positus, septo transverso inferiùs adhærens. Cor in illo sacco continetur, & inde pericardium dicitur cuius aponevrotica videtur compositio. Interiorem superficiem obvestit membrana lœvissima; extùs posita est mediastini continuatio; arteriæ pericardii à variis mammariæ ramis procedunt, venæ in congeneres aperiuntur, nervos à cardiacis superficialibus accipit; minori sensibilitate donari pericardium docent experimenta. Facies interna hujus facci aquoso halitu indolis lymphaticæ irroratur undique, qui ex arteriis exhalantibus cordis & pericardii excernitur. Is halitus in fano vix percipitur, sed morbis non raro mutatur vel augetur. Utilitas pericardii est 1.º cor continere ut firmitatem cum mobilitate habeat, neque magna vasa in motu

distrahat, neque in variato corporis situ pendulum fluctuet. 2.º Aquosus vapor irrorat cor, & cohæsionem cum pericardio impedit.

XXXVIII. Cor in pericardio contentum est musculus cavus, coniformis, duas habens ad basim appendices etiam musculosas; vena cavæ, aortæ, vasis pulmonalibus arteriosis & venosis appensum dia phragmati obliquè incumbit, & ibi complanatur; apex ad sinistrum latus vergit. Duplici constituitur ventriculo, dextro & sinistro, vel primo & secundo, totidemque auriculis. Nempe vena cava superior cum inferiori aperitur in sacco musculofo & membranoso qui cordis basi appensus est ad partem anticam, & auricula dextra dicitur; lacertis musculosis pectinatum dispositis componitur, irritabilis est, sed laxa & parum crassa, sanguini distendentis non admodum resistit. Auriculæ separatio à venâ cavâ inferiori notatur val vulâ Eustachii. Ex parte laterali sinistrâ aut posticâ, basi cordis annexa hæret auricula secunda. Venæ nempe pulmonales colliguntur in truncos quatuor qui caveam pericardii subeunt, & ad angulos sibi occurrentes sinum quemdam communem constituunt quadrangulum ex variis fibrarum fasciculis inter duas membranas de currentibus compositum. In parte inferiori gerit appendicem crenatum, cristatum, fibras pectinatas interiorius offerentem qui auricula sinistra dicitur.

XXXIX. A ventriculis cor propriè constituitur. Extus membranâ cellulosâ tenui teguntur, in quâ adeps retinetur. Facies interna tenerâ membranâ quæ cum intimo velamento auricularum continuatur, tegitur. Ventriculus dexter seu anterior sinistro quasi additus cavitatem coniformem offert. Pariet s ejus musculosi, parum crassi, extensioni sat facile cedunt, intus asperi sunt, musculosis teretibus lacertis, fibris nonnullis

tendineis variæ longitudinis & crassitie implicatis, quasi reticulatis notati; musculos papillares nonnulli dicunt. Ubi auricula dextra cum ventriculo ejusdem lateris conjungitur, adest ostium intermedium ellipiticum, albo tendineo margine notatum. Ab eo margine porrigitur intra ventriculum annulus membranaceus ex duplicatâ membranâ auris internæ productus, in ventriculum fluitans, suâ extremitate ad ventriculi parietes & ipsius columnas carneas, mediantibus fibris tendineis annexus. In tres partes inæquales finditur quæ valvulæ triglochines à veteribus dictæ sunt. Una maxima quæ ostio arterioso respondet; minima inferior est & dextra. Ex parte supremâ posteriori ventriculi dextri via dicit in arteriam pulmonalem quæ sinistrorsum ascendit retrò arcum aortæ: ibi ostium callosum notatur cui tres valvulæ semilunares sunt appositæ, eas intima cordis & arteriarum continuata membrana tegit. Pars media libera minimo tuberculo calloso divisa est: convexitas ad cor, concavitas verò ad arteriam vergit, & ita sibi correspondent, ut si distendantur, ostium claudant.

XL. Ventriculus sinister vel posterior dextro longior est, crassior, robustior. Columnis & trabibus carneis notatur superficies interna uti in dextro, & ab uno pariete ad oppositum aliquando protenduntur. Ut̄ ventriculus dexter, ita sinister duplex habet ostium. Unum est cum auriculâ commune etiam ovale & lineâ albâ callosâ duriori in ambitu notatum. Ex eo annulus membranaceus in ventriculum producitur membranæ interiori auriculæ & ventriculi continuus. In duas partes dividitur inæquales, quæ valvulæ mitrales dictæ fuerunt; major ostio arterioso respondet; fibrillæ tendineæ à parietibus & apice cordis extensæ ipsarum marginem inferiorem retinent. Aliud orifi-

cium habet cum arteriâ aortâ commune margine calloso & tribus valvulis semilunaribus sed robustioribus ac in arteriâ pulmonali notatum ; tuberculum crassius etiam gerunt.

XLI. Ventriculorum capacitas certò determinari non potest, sed dexter æqualis est sinistro in statu naturali. Septum medium fibris ex unoquoque ventriculo decussatis constat. Fibrarum verò ex quibus ventriculi componuntur ordinem & seriem exactè describere non est possibile, cum non sibi parallelæ, neque rectæ, sed ramosæ & reticulatæ, diversimodè intricatæ & strictissimè connexæ separari vix possint sine laceratione. Plura strata post coctionem separantur quæ fibras obliquas vel transversas interiùs eminentes, in basi copiosiores quàm in apice offerunt. Fictioni tamen multa concedunt celebres illi authores qui harum fibrarum ordinem regularem intelligere crediderunt.

XLII. Arterias & venas proprias habet cor. Arteriæ coronariæ dictæ duæ sunt, quæ ex aortâ immediatè supra valvulas semilunares nascuntur, & parvis ramulis circa septum cordis, supra superficiem ejus & ad apicem communicando se distribuunt. Una est anterior, altera posterior.

Venæ plurimis ramulis & sinibus cordis substantiam penetrant, diversis ostiolis in auriculâ & ventriculo dextri lateris aperiuntur, vena coronaria magna in hanc auriculam magno & valvulâ protecto orificio inseritur. Nervos cor habet multiplices ab octavo pari & intercostali præcipue oriundos. Illi plexum notabilem cardiacum dictum, cum aliquibus surculis qui à cervicalibus inferioribus veniunt inter asperam arteriam & magnas arterias faciunt, ex quibus ramuli ad substantiam cordis modo inextricabili

distribuuntur. Nihil glandulosi in corde viderunt anatomici, sed de vasis lymphaticis valvulosis ad ductum thoracicum tendentibus testantur nonnulli. Talis est structura cordis in adulto; multæ verò differentiæ in fœtu reperiuntur, quæ aliâs dicentur.

## S E C T I O   Q U A R T A.

*Phænomena motū cordis.*

**XLIII.** Cor descriptum, ubi vita adest, dupli-  
motu gaudet, constrictioñis nempe & dilatatioñis, seu  
systoles & diastoles. Hi motus alternatim & cum  
impetu sibi succedunt. Debiliores fiunt ubi vita lan-  
guescit. Systole est status cordis violentus, & non  
fit nisi ab accedente causâ. Diastole verò est status  
cordis naturalis, in quem transit sibi relictum, & est  
vera relaxatio omnium fibrarum carnearum.

**XLIV.** In systole apex cordis ad basim accedit,  
brevior fit, obtusior; basis etiam parum ad apicem  
appropinquat; brevius fit septum intermedium ventri-  
culorum; contrahuntur columnæ carneæ; inde cor,  
dum agit, brevius fieri non dubitant qui naturæ con-  
suluerunt & rationi. Probat adhuc elevatio valvu-  
larum tricuspidalium & lex generalis muscularum.

**XLV.** Non tantum arctatur cordis cavitas in sys-  
tole, sed & situs mutatur: tunc enim pulsat ad costam  
quintam vel sextam, non in diastole, uti afferunt non-  
nulli; contrarium evincit autopsia; in systole nempe  
apex cordis elevatur. Causa hujus erectionis non una  
est: 1.º in cordis pulsu magnæ arteriæ subito impletæ  
eriguntur, in rectitudinem se porrigunt & cor cogunt,  
ut anteriùs prodeat apex: simul aliqua pars sanguinis  
ex ventriculo in auriculam regurgitat, & ita basim dis-  
tendens mucronem elevat. Tamen in ranâ & pullo

incubato , in corde evulso , antrorum etiam se erigit , unde ad fibrarum musculosarum dispositionem adhuc pertinere credimus.

**XLVI.** Duplici simili motu alternatim succedente systoles & diastroles gaudet utraque auricula. In systole etiam fit brevior & arctatur. Hinc auriculæ & ventriculi in systole evacuantur ; quippe latera decurtatis fibris cavum obliterant & sanguinem admissum expellunt. An verò penitus evacuentur cordis cavitates , dubitatum est : magnam sanguinis portionem superstitem crediderunt nonnulli ; tamen in vivo & fano animale cor perfectè se inanire aut minimam portionem remanere suadet laxitas fibrarum & pallor in contractione evidens. Contractili vi etiam sat notabili & constante donantur venæ prope cor ; in venâ cavâ nempe utrâque & venis pulmonalibus pulsus aliquis notatur.

**XLVII.** Talis est ordo , quo diversæ cordis partes in motu sibi succedunt. Pars venæ cavæ quæ prope cor est sanguine repleta per proprias fibras musculosas se contrahit , in communem ex sinu & aure factam cavitatem confluit sanguis ex omnibus corporis partibus redux. Ea turget , dein contrahitur & cruxrem suum expellit in ventriculum dextrum. Obstat enim in statu naturali valvula Eustachii , tum succedens sanguis , ne in inferiorem cavam redeat ; ne sursum redundet impedit pondus & sequens unda. Non ita est in nonnullis circumstantiis præternaturalibus.

**XLVIII.** In auriculâ dextrâ sanguis pressus liberum habet iter in ventriculum dextrum tunc laxum & vix resistentem. Valvulæ triglochines per fibras tendineas ad apicem & parietes ventriculi tractæ patulum reddunt orificium ; ad parietes illas etiam apprimunt sanguis ingrediens. Ita sanguine auriculæ dextræ disten-

ditur cordis ventriculus dexter, dum simul valvula superior latissima ostio arteriæ pulmonalis prætenditur, ne tunc temporis eam arteriam subeat sanguis.

**XLIX.** Ventriculus dexter sanguine turgens & distentus ad contractionem stimulatur: tunc forti cum impetu se constringendo, in sanguinem contentum agit & eum exprimit dum animal viget. A parietibus ad axim pulsus sanguis elevat valvulas triglochines, ut ostium venosum claudant sibi applicatae, quod eò facilius fit, cum cor in contractione brevius redditum fibras tendinosas harum valvularum relaxet, & insimul retinentur ne nimis cedant. Hinc sanguini ex ventriculo in auriculam via præcluditur: aliquæ tamen guttæ adhuc regurgitant, non statim enim perfectè claudit ostium.

**L.** Alia via sanguini aperitur: elevata valvula tricuspidalis maxima ostium arteriæ pulmonalis liberum relinquit, & ita sanguis ex ventriculo expressus in arteriam pulmonalem irruit, valvulas semilunares ad ipsius parietes apprimit; sed renitens sanguis anterior hunc posteriorem versus cor repellit; regressum ejus in ventriculum impediunt valvulae semilunares quas subit & expandit.

**LI.** In arteriam pulmonalem ingressus sanguis, per totum pulmonem distribuitur: in duos quippe truncos dividitur hæc arteria, quorum unus ad dextrum pulmonem, alter ad sinistrum tendit. Ex illis multiplicatâ divisione oriuntur ramuli semper angustiores quorum alii terminantur in vascula exhalantia, alii in venas continuantur congeneres. Hanc esse veram directionem sanguinis à venâ cavâ in auriculam, inde ad ventriculum & dein ad arteriam pulmonalem & venas pulmonales valvulis carentes probant ligaturæ in arteriâ & venis pulmonalibus institutæ, sympto-

mata notanda ubi sanguis difficultius ex variis causis pulmonem subit in variis morbis, injectiones, ipsa partium fabrica, quibus addi potest oculi testimonium.

LII. Venæ pulmonales contractili vi donatæ in sinum proprium suum sanguinem exonerant; hic cum auriculâ sinistrâ continuâ sanguine distentâ se contrahit, sanguinem contentum expellit. Refluxum in venas pulmonales impedit nova columna sanguinis accedens in animale fano; sed liberum patet iter in ventriculum sinistrum: hunc ingressum permittunt valvulae mitrales parietibus ventriculi applicatae per vim sanguinis ingredientis & retrotractionem columnarum ad valvulas annexarum. Inanis præterea ventriculus aditum facilem præbet. Ostio aortæ applicatur major valvula mitralis.

LIII. Ventriculus sinister sanguine distentus validâ vi se contrahit, sanguinem suum ad axim & ad basim premit, inde valvulae mitrales relaxatae elevantur, explicantur; ita regressus in auriculam sinistram impeditur, patens verò se offert orificium aortæ. Ingressum permittunt valvulae semilunares quas sanguis applicat vehementissimo impetu in eam arteriam irruens.

LIV. Sanguinis propulsî in aortam regressum ad cor impediunt tres valvulae semilunares quæ sanguine regrediente dilatantur, & exactè sibi applicatae claudunt orificium, nullumque permittunt refluxum in animale fano. Ita sanguis ad omnes corporis partes distribuitur.

Hanc esse veram directionem sanguinis à venis pulmonalibus in sinum & auriculam sinistram, inde in ventriculum ejusdem lateris & tandem in aortam probant etiam ligaturæ, injectiones, fabrica partium,

varia obstacula quæ morbosè vel per artem ibi generantur ; tandem & oculis demonstrantur in anima libus calidis.

L V. In aortæ principio occurunt arteriarum coronariarum duo oscula quæ subit sanguis aortam ingrediens , ubi cor se contrahit , non verò in instanti sequenti , ubi relaxatur ventriculus . Quippe à valvulis semilunaribus non tegi hæc orificia docent experimenta ; sic cor sibi ipsi sanguinem suppeditat . Sanguis venosus cordis , ventriculis & auribus , præcipue dextræ , infusus , cum sanguine è corpore reduce miscetur .

L VI. Talem relationem habent hi motus . Ex venis cavis turgentibus sanguis traducitur ad auriculam dextram , & ex venis pulmonalibus in sinum venarum pulmonalium cum appendice . Simul distentæ auriculæ simul etiam se contrahunt & sanguinem in ventriculos pellunt , simul dilatantur ventriculi , & dein simul se contrahunt . Ergo dum ventriculi se contrahunt , auriculæ relaxantur , & vicissim . Contracti ventriculi expellunt sanguinem in arterias , sed auriculæ novum sanguinem accipiunt , ita ut auriculæ & arteriæ eodem tempore sanguinem accipient & eodem expellant per motus synchronos ; sed heterocroni sunt motus ventriculorum cum illis auricularum & arteriarum . Correspondent ventriculi cum venis quæ in sinus & auriculas aperiuntur .

L VII. Hic ordo regularis in statu naturali semper observandus , in languente , morbido & ad mortem accidente animale intervertitur admodum . Debiliores quippe fiunt cordis contractiones & cum debilitate crebiores ; unde pulsus vermicularis , deinde intervalla inter cordis contractiones nascuntur & non sibi correspondent ut in statu naturali ; tremores & pal-

pitationes irregulares excitantur, finister ventriculus & post eum sinus ejusdem lateris ad quietem se componunt. Dextri ventriculi pulsatio diutius supereft ut tamen longiori paulatim intervallo post auriculam ventriculus contrahatur; ultima tandem pulsat auricula dextra & aliquando post ipsam vena cava: utraque si irritetur facillimè ad motum revocatur, sed tandem cor quiescit in æternum.

## S E C T I O Q U I N T A.

*De motu quem sanguis accipit à corde.*

**LVIII.** Primarius contractionis cordis effectus est expulsio sanguinis intra vasorum cava; quippe ubi cor se contrahit, sanguinem contentum magnâ vi comprimit & intra arterias adigit; sanguis in illis jam contentus per vim percussionis anteriùs urgetur, & ad minima usque vasa hæc impulsio pervenit per continuationem columnæ. Inde sanguis de arteriis exiliens fortius prorumpit quo tempore cor contrahitur & in vase clauso acceleratur; ubi cessat systole, lentiùs promovetur. Ad minores arterias & venas usque hanc vim percussionis pervenire suadent exempla in quibus ex solâ cordis agitatione vita resuscitatur & hac solâ sustinetur. Præterea primum in embryone movetur cor & foetus grandius est: quæ omnia suadent sanguinis & reliquorum humorum motum à corde saltem maximè pendere.

**LIX.** Contra hanc cordis potentiam plurimi objectiones proposuerunt. Afferunt foetus sine corde vegetantes, observationes morborum in quibus cor consumptum & lentè destructum reperitur. Præterea corde evulso sanguinem adhuc moveri docet microscopium. Addunt adversarii vim cordis non sufficere

ad promovendam humorum massam, & calculis demonstrant. Hinc vim auxiliatricem quæsiverunt quæ cordi subveniat. Aliqui suctionem vel attractionem in vasibus capillaribus notam pro subsidio addunt, alii contractionem arteriarum adjungunt, alii vim oscillantem vasorum minimorum quæ à stimulo sanguinis aut humorum vitalium excitetur fingunt, alii ad vim aëris elastici per calorem expansi recurrent.

**LX.** Hæc subsidia viribus cordis addita destruit attenta phænomenorum observatio. In fœtibus corde destitutis supplebat materna circulatio, vel organum aliquod vicibus cordis fungens. Ubi cor consumitur, lentè debilitantur ejus vires, & functiones suas non raro exercent viscera ferè destructa. Motus qui post cordis quietem supereft latus est & ab attractione globulorum nascitur: ab illis animalibus quæ corde evulso adhuc diu vivunt non potest concludi ad animalia calida. Calculos quibus vim cordis non sufficere demonstrant, destruit experimentum quo constat in animale languido per singulam cordis pulsationem accelerari motum sanguinis, & intra vasa minima impulsionem percipi. Præterea contractionem arteriarum abesse demonstravit experientia. Tandem vim oscillantem vasorum oculi testimonium refutat. Qui calorem pro causâ propellente afferunt, effectum pro causâ assignant; aëris elastici intra vasa præsentiam in posterum destruemus.

**LXI.** His ratiociniis evicti, motum circulatorium à solo corde maxime promoveri credimus, vim suctoriam capillarium aliquid addere non negamus; quippe non credendum cordi obedire omnem massam humorum. Intra vasa capillaria ob frequentissimas anastomoses secundùm varias directiones rapiuntur fluida, & per innumeras vias ad circulationem ge-

neralem deveniunt, ita ut ibi circulationem peculiarem ab illâ magnorum vasorum independentem posuerint nonnulli observationibus ex statu sano & morbo depromptis suffulti. In textum etiam cellulosum qui maximam corporis partem efficit, tenuissima vasa exhalant & resorbent, ibique irregulariter vagantur humores actioni organicæ, forsan & nervosæ obedientes.

**LXII.** Quānam verò vi sanguinem promoveat cor determinare tentarunt varii. *Borelli* vires muscularum in ratione ponderis assumens, & resistencias quæ cordis impetui obstant arbitrariè estimans, ad 180000 libras ipsius vim elevat. *Keilius* ex velocitate & quantitate sanguinis singulâ systole emissi, vel ex parabolâ quam describit sanguis, ad 5 vel 8 uncias hanc vim redigit. *Jurinus* ad novem libras & unciam unam ventriculi sinistri vim æstimat; illam verò ventriculi dextri ad libras sex & uncias tres. *Hales* altitudinem ad quam elevatur sanguis intra tubum arteriæ carotidi vel crurali canis vivi applicatum comparat cum superficie ventriculi sinistri, & ad 51 libras cum unciis quinque vim cordis æstimat: *Sauvages* illam comparat, calculis suffultus, vi cuidam quæ pondus 42 librarum ad unum pedem in minuto primo elevaret. Sed hæc sunt incerta, omnino hypothetica, & ideo fidem nostram non merentur; quippe neque certò patet velocitas sanguinis è corde emissi, neque ipsius quantitas, neque area ventriculi sinistri, neque tempus quod ad systolen impendit cor.

**LXIII.** Ex innumeris tamen phænomenis credimus vires cordis magnas esse, quippe cor sanguine impulso replet maximo impetu omnia vasa etiam minima, ut ad altitudinem aliquot pedum ex arteriis minoribus apertis emittatur, & aliquando tunicæ

vasorum disruptæ fuerint : præterea estimandum est enorme pondus sanguinis totius quem aliquando in motum cor solum reducit. Attendendum est ad omnes resistentias quas vasa in toto tractu offerunt & ad celeritatem quam his superatis adhuc conservat sanguis. Ex his omnibus vim cordis maximam esse concludimus, sed ad calculum certum nullo modo revocari posse fatemur.

## S E C T I O   S E X T A.

*De causâ motûs cordis.*

LXIV. Quomodo cor solum inter omnes musculos absque ullâ lassitudine aut dolore, sine ullo quidem sensu suos motus per totam vitam exequatur, nunquam ferietur, sed dilatationi contractio, huic nova dilatatio firmo ordine semper succedat, si quæras, varii varia respondent. Ignem innatum, facultatem pulsificam afferebant veteres : rarefactionem subitam sanguinis ex calore fieri docebat *Cartesius*; effervescentias & fermentationes supponebant Chimici. Antagonismum inter cor & cerebrum posuit *Lowerus*, ut ex contractione cordis impulsus sanguis influxum spirituum producat qui instanti sequenti minorem impetum agent. Elasticitatem fibrarum cordis cum influxu nervorum junxit *Vieussenius*. Animam hunc motum ad corporis conservationem dirigere voluit *Stahlius*. Succum acidum supra fibras cordis agentem finxit *Chiracus*. Actionem sanguinis per calorem & materias volatiles spiritus nerveos excitantis agnovit *Lancifius*. Antagonismum inter duram meningem & cor admisit *Baglivius*: eundem inter ventriculos & auriculas supponuit *Bellinus*. Fibras longitudinales & spirales in corde cum *Perraut* dixit *Hambergerus*,

ita ut systole ab actione spiralium, diastole ab actione longitudinalium oriretur; quæ omnia sunt mera imaginationis figmenta & data phænomena non explicant.

**LXV.** Speciosiorem aliam motū cordis explicationem tradidit *Boerhavius*. Duplicem nempe causam omnis contractionis muscularis sumit, nerveorum spirituum & sanguinis arteriosi potentiam; utramque vim alternis vicibus cordi inesse, & iterum cor deserere sic intelligit. Ad substantiam cordis sese distribuunt nervi qui inter truncos aortæ & arteriæ pulmonalis incedunt. Ubi cor se contrahit, expellit sanguinem in hæc vasa quæ inde dilatata comprimunt nervos intermedios, intercipitur fluxus nerveus: præterea de contracto corde sanguis in aortam pressus valvulas semilunares arteriis coronariis præpositas applicat & earum ostia claudit, ut sanguinem recipere nequeant. Ex duplice hac causâ resolvitur cor & quiescit. Ubi cor laxatur, arteriæ se contrahunt, liberantur nervi interpositi, ex aortæ contractione repulsis valvulis pellitur sanguis in arterias coronarias, inde spiritui & sanguini ad cor reddituro via patet: renascitur adeò systoles cordis altera causa, ut cor contrahatur, & contractum sibi ipsi causam contractionis auferat.

**LXVI.** Plurima huic sententiæ repugnant. Ab iisdem nervis à quibus ramos cor accipit, accipiunt & auriculæ; ubi verò resolvitur ventriculus, contrahitur auricula & vicissim. Alii nervi & copiosi cor adeunt ante aortam & retro pulmonalem arteriam. Compressio ex dilatatione arteriarum supposita nequaquam ita comprimeret fibrillas nerveas textu celluloſo contentas ut fluxus nerveus subito intercipiatur. Fortis compressio ad paralyſim inducendam necessaria sensum incommodi comitem habet qui in alterno

alterno motu cordis non percipitur. Dilatationem arteriarum per sanguinis impulsionem in posterum destruemus. Licet sanguinis minor copia in suffocationibus, deliquiis animi ex ventriculis expellatur, persistit alternus motus cordis. Tandem influxus spirituum animalium & sanguinis non potest accipi pro causâ immediatâ contractionis cordis. Cor in systole sanguinem de sua carne non ita exprimit ut paralyticum fiat, neque influxus sanguinis impeditus musculos subito resolvit. Arteriae auricularum sunt eadem ac illae ventricularum. Valvulae semilunares ostia arteriarum coronariarum non tegunt. Ligatis arteriis coronariis, pergit motus cordis. Ex arteriis coronariis sectis, tempore systoles sanguis altius profilit, & pulsus ibi eadem tempora servat ac in aliis arteriis. In piscibus & frigidis animalibus quibus unica est arteria, alterno motu etiam rapitur cor. His omnibus addamus quod absque nervis & absque sanguine arterioso cor separatum adhuc pulset. Hinc propositam hypothesim pariter mittimus.

LXVII. Ad veram causam detegendam nos ducunt aliqua experimenta. Ligatis nervis qui ad cor sepe distribuunt, sive octavo pari, sive magno intercostali, abscissâ medullâ spinali, non perit motus cordis, sed tantum languescit. Ubi nullus sensus exercetur, supereft adhuc motus cordis & aliquando diu excitari potest. Cordis substantia stimuli est admodum impatiens, ex quiete ad motum sponte aliquando transit, sed faciliter ab aere vel liquore impulso, à calore, à scalpello, à venenis excitatur, & eam proprietatem retinet, licet omnes musculi resoluti in corpore nulli stimulo obedient. Cor evulsum diu se constringit, per plures horas, aliquando per dies integros in animalibus frigidis. Particulae quidem

dissecti cordis alternè adhuc constringuntur & lantur, vel fibi ipsis relictæ vel irritatæ. Animallum juniorum cor majori irritabilitate pollet, & celerimè pulsat, ubi totum corpus ex gelatinâ adhuc constat.

LXVIII. Ex his patet cordis substantiam summè irritabilem se constringere ubi irritabilitas ipsius excitatur per presentiam sanguinis in ipsius cavitatibus; & in hoc maxima est naturæ simplicitas. Hanc esse causam motū cordis confirmat observatio quæ successionem repletionis & contractionis in variis cavitatibus cordis distinguit in animali languido, & in iis quibus unicum ventriculum cor habet. Præterea cordis motus quiescit si impediatur affluxus sanguinis, si restituatur renovatur motus; ab impulso flatu vel liquore quoconque distentæ cavitates cordis alternatim constringuntur. Ubi ad mortem accedit animal, quiescit primus ventriculus sinister; dein auris ejusdem lateris, inde dexter ventriculus, tandem auricula dextra, & ultimi supersunt sinus venarum. Hujus phænomeni rationem reddit variarum cavitatum debilitas successiva. Hanc prærogativam ventriculi dextri mutavit Illustriſſ. *Hallerus*, impediendo sanguinis affluxum ad partem dextram cordis, dum retinebatur intra partem sinistram. Hinc credimus sanguinem esse perpetuum stimulum ad partem summè irritabilem applicatum, & hanc esse primariam contractionis causam, quæ tamen diu non persisteret, præcipue in animalibus calidis, nisi subsidio veniat influxus spirituum animalium fibras ad suam actionem disponentium.

LXIX. Non objic和平 causam irritabilitatis non assignari, sufficit si experientiis demonstretur & à nervis primariò non pendeat; neque dicant hanc

non esse legem communem aliis muscularis, vel sanguinem non habere stimulum aliquem, siquidem structura cordis & ipsius actio ab omnibus aliis muscularis differt: sola aqua, muscularis & aliis liquoribus blandis, cordis caro ad contractionem etiam stimulatur.

## SECTIO SEPTIMA.

*De natura sanguinis.*

LXX. Sanguis una undecima parte aqua ponderosior intra vasa motus homogeneus videtur, sed sibi ipsi relictus varia inesse demonstrat. Quippe ex animale vivo prodiens statim copiosum vaporem volatilem odorum emittit qui aquosus videtur cum levissimo alkalinae indolis indicio. Dein frigefactus, quiescens sponte coagulatur in scissilem massam coloris rubri quae placenta dicitur. Supernata subflava portio fluida seu serum: utrinque portionis proportionem mutant atmosphera, sanguinis indoles & motus, tum varium quietis tempus. Huic coagulationi favent acida mineralia, alcohol, calor aquae ebullientis; diu vero sibi relictus in liquamen foetidum non amplius spissabile totus resolvitur, quod citius evenit in calore tepido.

LXXI. Portio rubra ponderosior constituitur dupli elemento facile separabili; quippe si placenta post quietem, à portione serosa bene separata in aqua elutriatur, portio filamentosa quasi mucosa, fibrosa, absque colore remanet, dum rubro colore tingitur aqua. Placenta vero dessicata relinquit pulverem rubrum inflammabilem: ad portionem fibrosam pertinet crux falsa dicta inflammatoria, uti & formatio polyporum, ubi per quietem accrescunt fibræ modo dictæ. Portio serosa fluida calore aquae ebullientis

ab acidis & ab alcohole modo albuminis coagulatur strictius quam portio rubra. Ex illis variis portionibus nexu inextricabili junctis emergit pretiosus liquor vitalis : vix aliquid ulterius notum est.

**LXXII.** Tamen sanguini inesse copiosum aërem non elasticum & portionem phlegmaticam quæ quinque sextas partes constitutæ docet analysis chemica , quæ si ulterius igni violentissimo urgeatur , spiritum , acrem & fœtidum , salem volatilem alkalimum ac oleum acerrimum producit ; carbo remanet qui incensus deflagrat cinerem relinquens in quo salis alkalini fixi & salis marini indicia sunt. Aliquas etiam particulas ferri magnes attrahit. Quæ experimenta si exactè ponderemus , vix aliquid certi docent circa veram naturam & compositionem sanguinis , cum hæc pro productis ignis validissimi potius quam pro eductis haberi debeant.

**LXXIII.** Denique ope microscopii in sanguine recenti in tubum vitreum recepto , vel in sanguine intra venas animalis vivi moto , distinguimus globulos rubros , molles , figuræ mutabilis , intra alium liquorem tenuiorem decolorem natantes. Globulos rubros ex sex aliis globulis flavis compositos , illos ex sex globulis albis generari dixerunt plurimi post *Leuwenhækium* ; sed accuratiora experimenta has hypotheses omnino destruunt , & talis nequit esse coloris rubri generatio. Cruor moleculis componitur rotunditatem affectionibus quæ proprium ruborem habent ; globuli vero diversæ classis & magnitudinis nullo modo percipiuntur , unicè pallent quod solitarii appareant , neque minores spherulæ in maiores coalescunt , neque maiores in minores decolores diffiliunt. Fila ex quiete per vim attracticem nascuntur : in vasis etiam vivis aliquando congregantur , & variis morbis ansam dant ,

Serum flavescentia aquam multam habet cum parte lymphaticâ ad ignem concrescibili mixtam, & sales nonnullos qui neque ad acidam neque ad alkalinam indolem vergunt.

LXXIV. Unde colore rubro inficiantur globuli sanguinei valde inquirunt physiologi. A figurâ globosâ elementorum alii repetunt: alii à densitate & proximitate globulorum; sed hæc nihil explicant; alii in pulmone causam ruboris assignant; sed pisces pulmone carentes sanguine rubro donantur, ita pullus incubatus, aliqua infecta. Alii aëreum nitrum afferrunt, freti experimentis, quod nempe in sanguine aëri exposito, facies aëri obversa rubescat, nigrescat inferior, quod ab admixto nitro fluidum ruborem induat sanguis. Sed primò nitrum in aëre non existit, uti notum est Chimicis, acidum tantum latet in atmospherâ quod alkalinae basi propriæ junctum nitrum constituit. Præterea licet aërem non tangat pars superior placentæ, rubescit infra corium inflammatorium, & in ipso vacuo grumi superficies superior colore floridiori tingitur. Contrarium tamen docent experimenta Clarissimi *Cygnæ*: licet tenuissima sit lamina, inferius nigror est, dum superius rubet, & vident laminas aëri expositas lætè rubentes, dum aliæ in vacuo vel sub liquore detentæ hunc colorem non induebant; inde compressionem à globulis superioribus vulgo allatam recusat tanquam causam coloris rubri profundioris in parte inferiori placentæ, dilutioris verò in parte superiori. Hæc nondum docent unde colorem suum habeat sanguis: alii lixiviosum sal cum sulphureo principio mixtum afferunt, quod lac cum lixivioso sale coctum rubere videant, vel quod oleum aut sulphur per lixiviosos sales dissolutum rubescat. Sed hæc jam eviluerunt.

Ferrum sanguinis attulit nuper Clariss. *Hallerus*, ex eo quod calcinata terra martialis rubiginosum colorem contrahat, & eundem colorem producat terra sanguinis calcinata; sed infinitè minima est hæc portio ferri, ut tam vividum colorem rubrum conciliet qui terræ martiali non est proprius. Præterea in ovo incubato jam apparet lætè rubicundus color sanguinis. Sunt alia fluida quæ multo majorem ferri copiam gerunt & hunc colorem non præstant. Adde dubiam esse hujus ferri in sanguine existentiam, cum non nisi post validam ignis actionem appareat. Hinc credimus illud problema de causâ coloris sanguinis nondum solutum esse; & vix speramus hanc solutionem unquam obtinere physicos, cum causa colorum à pororum reflectentium varietate inextricabili pendeat. Tamen materiam colorantem extractivam demonstrarunt nupera experimenta.

## S E C T I O   O C T A V A.

*De phænomenis, causis & effectibus sanguinis moti intra arterias.]*

LXXV. Sanguis ergo ex cordis utroque ventriculo propulsus magnâ velocitate arteriam aortam & pulmonalem subit, variasque ipsarum curvaturas & divisiones percurrit. Motum quo abripitur in duas directiones vulgo dividunt physiologi. 1.<sup>a</sup> Est ea quâ lineam rectam sequitur aut sequi sumitur per axim arteriarum: eum motum vocant progressivum. Ipsius velocitatem prope cor in arteriâ aortâ estimare voluerunt jatromathematici, & juxta *Keilium*, hæc est ut 52. pedes ex corde prodiens in uno minuto primo percurrat, 50 secundum *Halesium* & pollices circiter 8. in uno pulsu: ad tres pollices cum 4.<sup>a</sup> parte mi-

nuit Clariss. *Sauvages*, & multò minorem alii adhuc dixerunt. Certè ipsius velocitatem maximam esse probant experimenta : minimè tamen credendum hanc esse invariabilem & certis calculis estimari posse , ob experimentorum hujus generis & calculorum theoriam incertam.

LXXVI. Hunc motum variæ causæ retardant: prima & præcipua est divisio truncorum, ex eo quod lumen trunci minus sit quām conjuncta lumina ramorum, & ita ex canali angustiori in latiore distribuatur sanguis. Hanc rationem adhuc calculis subjicerent jatromathematici : sed ratio trunci ad lumina ramorum non est nota, neque constans ; præterea divisionum numerus certò definiri non potest, & collisionem minuant calcaria ad divisiones posita. Altera causa retardationis est frictio liquidi ad parietes vasorum, quæ frictio eò magis de velocitate tollit quò longior est canalis & exilior. Præterea flexiones, plicæ & anguli vasorum motum progressivum adhuc morantur in diversâ ratione. Porro frequentium anastomosum in vasis minoribus, sanguinis visciditatis & ad parietes vasorum adhæsionis ratio adhuc est habenda in estimandis obicibus qui motui progressivo sanguinis offeruntur. His resistentiis minùs rectè addunt non nulli pondus atmosphære & partium corporis quæ arteriis incumbunt, vim contractilem arteriæ & ipsius elongationem quæ viribus cordis superantur. Ex his omnibus concludimus summam esse retardationem motū à corde accepti in vasis minimis ; calculum ponere non facile est, magnam esse rationem intelligitur.

LXXVII. Non credendum tamen has causas retardationis motū progressivi sanguinis ex legibus physicis corporum inanimatorum posse certò æstimari ,

ēum solidæ viva ab inanimatis valdè differant. Si opere microscopii motum sanguinis in animalibus frigidis perlustremus, si arterias minimas animalium vivorum aperiamus, certò videbimus non tantam esse retardationem in vasis minoribus ac quidem promittit theoria. Ergo requiritur minorem esse efficaciam causarum retardantium, vel novum motum accedere in decursu. Evidem non est eadem lex retardationis in minoribus vasibus capillaribus ac in majoribus quæ continuo minora fiunt, ubi dividuntur. Polita canarium superficies, globosa molecularum figura minorem frictionis efficaciam reddit, neque ita infinita est vasorum ultimatum angustia & divisio. Aliqui novas velocitatis causas addunt, uti vim ponderis quæ euidem venosum sanguinem ad loca inferiora forsan aliquando derivat, in arteriosum verò vix aliquid potest. Alii dicunt agere vim contractilem nervorum arterias ideo amplectentium plurimas modo laquei vel plexūs; hoc probat efficacia animi motuum ad immutandam circulationem: sed nullā contractilitate donari nervos jam notum est; præterea pulsus non semper augetur à nervis irritatis, neque à dolore aut à convulsione, neque minuitur à paralysi. Addas in placenta absque nervis circumire sanguinem, tūti & in arteriis osseis.

LXXVIII. Aliam causam motū progressivi sanguinis assignant fere omnes physiologi, nempe contractionem arteriarum quæ ab impulso sanguine successivè dilatatae, per innatam elasticitatem reagunt & cavitatem suam successivè etiam arctando, contentum sanguinem à corde ad partes urgent. Causam hujus contractionis in elatere & fibris musculosis arteriæ distentis reponunt. Sed systolen & diastolen arteriarum nullam esse modò demonstrabimus. Vasa minimæ dilatatione & contractione pulsatoriæ carent;

tandem nihil adderet systole ; vim derivationis addit *Hallerus*, sed in statu fano vix admittenda videtur. Alii ad vim suctoriā vasorum capillarium recurrent quam negant alii, ex eo quod plena sint : hanc tamen concurrere probant innumera phænomena. Vim oscillatoriā vasorum vivorum attulit *Clariss. Whitt Eff. Phys.* Alii tandem actionem organicam vasorum minimorum & textūs cellulosi admittunt quam non explicant ratiocinia mechanica, sed demonstrant phænomena in statu fano & morbo obseruanda quibus evincitur circulationem non ita regularem esse in vasis minimis ac vulgo creditur. Revera si motū progressivi sanguinis in statu fano vel morbo phænomena sedulò perpendamus, si ad historias foetuum sine corde & ad lœsiones ejusdem cum subsistente motu progressivo sanguinis, etiam post cessationem motū cordis, attendamus, censemus cordis actionem non solam esse potentiam quæ sanguinem intra vasa urgeat, sed ipsi addi energiam vasorum minorum & textūs cellulosi.

LXXIX. Notandum vero phænomenon in vivo animale offerunt arteriæ ; digitum applicitum alternis vicibus feriunt, & sanguis ex illis apertis per saltum alternum prorumpit. Pulsus dicitur, quem à facultate pulcificâ repetebant veteres ; ab inventâ vero circulatione, sic hujus phænomeni rationem reddunt Physiologi : cum arteriæ in vivo animali semper plenæ sint, non potest nova unda sanguinis vi cordis in illas exprimi, quin unda anterior ab undâ posteriore celerius progrediente percutiatur : hæc percussa motum suum anteriori undæ communicat, & sic usque ad columnæ extremitatem, quandiu unda posterior celeritate superabit undam antecedentem : inde arteria licet cylindrica in longitudinem exporrigitur, & in

latitudinem in ratione resistentiae positae in extremitatibus quae reactionem fluidorum contentorum cogit ad latera : sic unda posterior omnes anteriores pellit , & omnia lumina arteriarum pressioni perpendiculari ad latera cedunt , applicatum digitum feriunt. Cesante vero cordis systole , remittit impetus sanguinis , distentae arteriae per elasticitatem reagunt , contentum sanguinem ulterius urgent , fit ipsarum systole per vim innatam parietum qui modò alternae distentioni cedunt.

LXXX. Contra hanc theoriam primus dubia movit Clariss. *Weitbrecht* , *Comment. Acad. Petropolit.* tom. 7 , objiciens duas uncias sanguinis singulare systole expulsas non sufficere ad distendendas omnes arterias corporis. Explicare voluerunt aliqui à successione sanguinis in diversas arteriae partes , quae successio non percipiatur. Dein hanc dilatationem à pressione laterali , experientiis & ratiociniis fretus omnino refutavit Clariss. *De Lamure* , *Recherches sur la cause de la pulsation des arteres* , à Montpellier 1768 , & in *Act. Acad. Paris.* anni 1767 , à locotione totius arteriae pulsum repetit. Quippe si ipsi credamus , non vi percussionis , sed pressionis sanguis impellitur intra aortam , quae pressio ad dilatationem non sufficit ; sed apex cordis in systole elevatur ; eodem motu abripiuntur omnes arteriae , sursum elevantur & digitum supra applicatum feriunt. Multa dubia ergo relinquebat hæc explicatio.

LXXXI. Dubiorum solutionem in ipsâ naturâ indigitavimus , & primò non à dilatatione fieri pulsum certò vidimus , neque locotionem à Celeberrimo *De Lamure* allatam percepimus. *Mém. sur la puls. des arteres* , Paris 1771. Quippe feritur digitus in omni ambitu arteriae applicitus , motum aliquem sub-

sultorium in flexionibus & curvaturis certò vidimus, dum arteriæ rectæ non dimovebantur, licet applicatum digitum ferirent. Hinc pulsus à columnâ sanguinis progrediente intra cavitatem canalis & digitum applicitum feriente, ex eo quod in puncto contactûs arctetur diameter fieri, pro certo accepimus. Demonstrarunt experimenta in animalibus mortuis capta quibus pulsus renovabatur per compressionem parietum cordis, quin & in canalibus flexilibus, mollibus, artificialibus pulsus imitati sumus. Exploratur pulsus in carpo vel aliâs, ubi ossa supposita non cedunt pressioni digiti, sed obstructiones & irritationes faciunt ut alienis locis nonnunquam percipiatur. Cur cesset in minimis arteriis facile intelligitur ex dictis.

LXXXII. Modum & affectiones circulationis sat fideliter indicat pulsus, ut inde signa diagnostica sanitatis & morbi eruant Medici. Rarus cæteris paribus in sanissimis corporibus observatur, ubi nullus adest stimulus, nullus obex, cor liberè & faciliter sanguinem promovet. Magnum pulsus facit arteriarum præsens plenitudo, vel sanguinis rarefactio cum magnâ vi cordis conjuncta; parvum facit inanitas arteriæ, ipsius constrictio vel minor unda à corde expulsa. Durus designat vim cordis & parietum arteriæ auctam. Celer stimulus indicat. In statu fano mollis est, æqualis & lentus. Quæ omnia tamen æstimari non possunt nisi ex conditionibus plurimis quæ à volumine animalis, ipsius ætate, temperamento, sexu, horâ dici, à quiete vel motu, animi affectibus, à cœli varietate & aliis circumstantiis repetuntur. Alias mutationes ex quibus signa prognostica morborum erui possunt doceat praxis.

LXXXIII. Sanguis per vasa arteriosa incedens innumeras frictiones ad parietes eorum experitur,

præcipue in minoribus : addunt plurimi ipsius moleculas aliud frictionis genus experiri , dum per alternam dyastolen & systolen ab axi ad parietes , & vicissim à parietibus ad axim repelluntur globuli , indeque vortices , turbines & confusam agitationem in fluidis animalibus admittunt . Hoc non docet inspectio microscopica , & negat supposita dyastole & systole . Ad directionem tamen mutandam valent plurimùm illisiones in divisiones & reflexiones repetitas ramorum , eorumdem anostomoses frequentissimæ . Inde tritum expectant nonnulli & globulorum formationem . Primarius verò hujus motûs effectus est fluiditas ; quippe à mutuo contactu continuò dimoventur globuli ad concretionem proni ubi quiescunt .

LXXXIV. Alter effectus circulationis est calor animalis non omnibus animalibus communis ; sunt enim plurima quæ vix supra medium in quo vivunt calent & ideo frigida dicuntur : alia sensibiliter calent , vario tamen gradu ; ad triginta duo gradus thermometri *Reaumuriani* & 94 vel 96 *Fahrenheit* cogit vulgo calor humanus in statu fano , in calidioribus regionibus non major est ; ad paulò majorem elevant nonnulla quadrupeda , ita canes , feles ad 103 & 104 , aves ad 107 & 108 therm. *Fahrenheit* ; in morbis febrilibus aliquando major etiam nascitur . Hujus caloris fontem in sanguine reponere non dubitarunt . Innatum calorem veteres dicebant & ipse *Cartesius* . Effervescentias , fermentationes à sulphureis , acidis aut alkalinis elementis sanguinis repetebant Chimici , quæ omnia jam eviluerunt . Motum & attritum globulorum sanguinis intra vasa , ipsorum parietum alternam dilatationem & constrictiōnem assumpserunt Mechanici eâ lege fulti , quod maximus sit tritus in vasis animalibus , & ex attritu nascatur calor globu-

lorum sanguinis. Copiam, densitatem, elasticitatem addunt nonnulli. Evidem à motu solo animalia incalescunt etiam in summo aëris frigore. Addunt motu sanguinis incrementa calorū augeri eò magis quò major sit densitas globulorum & vasorum, quò major sit vis cordis. Calor diminuto cordis motu diminuitur, pulsu sublato tollitur calor. Ubi minor adest sanguinis copia, calor etiam imminuitur. Tandem pisces non calent, ob cor minus & paucitatem sanguinis.

LXXXV. Hanc theoriam caloris animalis plurima evertunt. Agitationes vehementissimæ fluidorum calorem non generant, vasa animalia alternam dilatationem & constrictiōnem non experiuntur (81). Pisces cum celerrimo motu & cum sanguine densiore ac in cachecticis nonnullis calorem non generant. Caloris gradus non sunt in ratione celeritatis sanguinis, siquidem ex observatis practicis constat non raro augeri calorem cum retardato pulsu, & e contrà minui cum accelerato. In hec tico homine cum nullo pulsu, frigus erat ad sensum quasi marmoreum, & tamen ad 97 gradum ascendebat thermometrum. *De Haen, Ratio medendi part. 3, Cap. de Calore humano.* Tandem tantæ sunt varietates ut vix illas teneat observator. Calor animalis nunquam nisi ad certum gradum augetur, siquidem per calorem aëris aut aquæ cui immergimur nullus calor novus generatur. Hinc à receptâ frictionis theoriâ recessit Clariss. *Douglas*, ut calorem quem animal supra calorem aëris ambientis generat à frictione globulorum rubrorum repeteret, qui per vasa capillaria suâ diametro angustiora transseunt, & eadem à medio frigidiori tanguntur & ambiuntur: frictio verò nulla est si per teponem mediæ ambientis capillaria ita dilatantur ut eorum lumen diametro globulorum majus sit. Inde explicatur cur

non nisi ad certum gradum augeatur calor animalis. Sed hic status alternæ dilatationis & constrictioñis non intelligitur *Encyclopæd. Chaleur anim.* Præterea lentoř est motus humorum intra capillaria : tandem minorem animalis massam constituerent partes calorem aliis communicantes , siquidem non nisi in capillaribus generaretur. Addas in animalibus frigidis existere conditiones à Clariſſ. *Douglas* requisitas ad calorem generandum , & partes interiores magis calere quā exterořes. Illi qui electricam materiam à globulis rubris attractam dicunt calorem generare nihil explicant. His dubiis moti calorem sensibilem à vero calore qui thermometro dijudicatur separandum esse censemus , & credimus causas mechanicas nunquam sufficere ad explicandum calorem animalem. Ideo ad certam quantitatem ignis liberi cum animalibus substantiis combinati recurrimus , qui per motum extricatur. Suadent phænomena electricitatis , fulminis , flammæ & combustiones naturales in corporibus vivis aliquando excitatæ *Trans. philos.* vid. *Mem. de M. de Boissieu sur les méthodes rafraîchissantes & échauffantes , Prix de Dijon 1772. Introduction.*

LXXXVI. Alios adhuc effectus præstat motus fanguinis ; quippe corruptionem putridam avertit , humores noxios abigendo & mixtionem bonam producendo ; à motu tamen & tritu continuo dissolvuntur , ad urinosař acrimoniam disponuntur humores non renovati per potulenta & esculenta. Deinde rotatio & mutuus affrictus ad sphericam figuram moleculas disponit , tum & vasorum minimorum figura. Globulos adhuc compingit , adunat : inde densitas & rubor : quæ phænomena præcipue in pulmone & in majoribus vasis videntur obtineri , ubi celerior est motus ; in minoribus verò ob lentiorem motum , vires

attractices augmentur, secedunt in hiantia oscula liquores tenuiores, mixtiones novas experiuntur, à massâ amendantur moleculæ heterogeneæ, aliæ solidis applicantur: inde secretiones & nutritio quæ fiunt in minoribus vasis.

## S E C T I O N O N A.

*De phænomenis, causis & effectibus sanguinis moti intra venas.*

LXXXVII. Ampliores & numerosiores esse venarum quam arteriarum divisiones docet anatomia. Si verò motus sanguinis phænomena ope microscopii in animalibus frigidis perlustremus, sanguineos globulos sat celeriter fugientes & anfractus vasculorum superantes cernimus. Paulò lentiori motu abripiuntur ac in arteriis, aliquando diuturniori. Ex minimis venulis sanguinei globuli in venas maiores confluunt secundum lineas axi parallelas, parum colliduntur. Anastomoses frequentissimas ac irregulares habent inter se venæ minores & maiores, quibus adjuvatur motus sanguinis; faciunt nempe ut sanguinis per venas refluxus sit liberius, & torrentes aliquando contrarii non valde sibi obsistant: non eadem est constantia directionis in sanguine venoso ac in arterioso. Celeritatem absolutam sanguinis venosi aliqui aestimare voluerunt, hanc cum illâ sanguinis arteriosi comparantes. Saltum sanguinis ex carotide pedum 5. & totidem pollicum vidit *Halesius*, cum saltus ex jugulari venâ esset pollicum 5. cum dimidio. Sed haec infida & variabilia admodum sunt.

LXXXVIII. Hic motus fit æqualiter absque pulsatione, & ex venis apertis sanguis uniformi filo fluit; ratio est quod in anfractibus vasorum minimorum arteriosorum deperdita fuerit inæqualitas inter

undæ anterioris & posterioris celeritatem, & quòd à spatio angustiori in latius transeat sanguis venosus. Pulsum tamen aliquando venosum morbi producunt, & ille cerebro proprius alias causas habet. Quanto tempore totus sanguis circuitum majorem absolvat inquirunt nonnulli. Varios calculos proposuerunt in quibus multa desiderantur ; siquidem supponitur nota 1.º massa circulationi obediens. 2.º Quantitas sanguinis unaquaque systole expulsa. 3.º Celeritas ejusdem quasi constans & uniformis. *Hallerus* tria minuta ad absolvendum circuitum de ventriculo sinistro in ventriculum sinistrum suspicatur. *Elem. Physiol.* tom. 2, p. 348.

**LXXXIX.** Causa motûs progressivi sanguinis venosi vix alia assignari potest, nisi vis impellens sanguinem arteriosum per columnæ continuationem productæ intra vasa majora venosa, actio suctoria vasorum capillarium, adde valvularum frequentiam, transitus à loco ampliori in angustiorem, ubi omnes rami cum trunco comparantur. Adjuvant agentes musculi qui interpositas venas comprimunt ; ideo per illorum contractionem plus sanguinis ad cor in dato tempore accedit, & respiratio fit frequentior. Inde à quiete motus sanguinis retardatur. In motum sanguinis venosi multùm potest pondus quod in aliquibus partibus favet circulationi, aliàs verò obest. Ideo velocitas sanguini croris multò incertior est quàm arteriosi. Hanc minuit frictio quæ minor est tamen ac in arteriis. Præter illas causas mechanicas, credimus aliam vim solidis viventibus propriam ad motum sanguinis venosi conferre.

**XC.** Aliud phænomenon in motu sanguinis venosi docuerunt experimenta recentiorum, alternam nempe elevationem venarum cerebri & aliarum majoris diametri in pectore, quæ cum inspiratione & expiratione analogam

analogiam habet. Turgescunt venæ & cerebrum intumescit in exspiratione, deplentur eadem, & cerebrum subsidet in inspiratione. In vehementiori respiratione hæc fiunt evidenter, in debilioribus animalibus etiam apparent. Ratio est quod per inspirationem via facilior aperiatur sanguini per pulmonem transituro; hinc facilis evacuetur sanguis auriculæ dextræ & ventriculi & cavarum & venarum quæ cavis proximæ sunt: hinc pulsus frequentior in inspiratione. Contra, in exspiratione sanguis pulmones compressos lentiùs transgreditur, in venis cavis, in jugulari, in cerebro retinetur & ideo intumescunt quod sanguinem accipere pergent, minus emittant. Ergo inspiratio iter ad pulmonem & cor dextrum expedit: addit Clariss. *Delamure* quod in exspiratione thorax contrahatur, comprimantur pulmones, auriculæ, venæ cavæ, hinc fiat refluxus ad cerebrum. Vult adhuc *Hallerus* per diaphragmatis contractionem stringi venam cavam tendinibus interceptam. Si verò inspiratio vehementior sit & diutius continuata, ut in nixu, iter sanguinis etiam difficilis reddit & venas proximas cordi turgent facit: exspiratio proxima libertatem reddit, Credendum hæc phænomena non ita se habere in sano homine ac in experimentis apparent, docet adhæsio duræ matris ad ossa cranii.

XCI. Effectus motus sanguinis venosi aestimari possunt ex illis sanguinis arteriosi; sed cum lentior sit, minorem habet efficaciam. Præterea variii humores secretorii per venosas extremitates resorbentur & ad massam generalem refunduntur. An & quantum à sanguinis missione mutatur sanguinis directio intra vasa? Aliquam mutationem inferre docent experimenta, sed derivationem & revulsionem in sensu Belliniano negat theoria & observatio.

## C A P U T I V.

*De Secretionibus.*

**XCII.** **S**ANGUIS per motum circulatorium ad varia organa promovetur. Ex hoc fonte derivantur diversi humores secretorii, & actio naturalis quâ illi humores præparantur dicitur secretio. Mirum certè phænomenon quo fit ut ex uno & eodem penu tot tamque diversi humores prodeant, mentem physiologorum admodum torquet, sed si verum fateamur, vix adhuc aliquid certi docuerunt. Ad hanc doctrinam evolvendam, quid doceat anatome circa structuram organorum secernentium exponemus, dein humorum secretiorum indolem variam comparabimus; sententias à diversis physiologis allatas ad explicandam secretionum varietatem proponemus; quid certi circa causas diversitatis humorum tradere possumus declarabimus: tandem ad excretionis mechanismum attendemus.

## S E C T I O P R I M A.

*De organis secretoriis.*

**XCIII.** Organa secretoria in genere sunt quæ visuæ propriæ fabricæ ex massâ sanguineâ valent de promere varios liquores ab ipso sanguine diversos. Horum organorum structuram nondum perfectè evolvere potuit anatomia. Docuit equidem *Malpighius* omnium organorum secernentium fabricam esse eam folliculi alicujus cavi per arteriolas minimas liquorem accipientis, foventis ac mutantis, & dein

in ductum excretorium amandantis, ita ut ex horum follicularum unione & aggregato formarentur omnia viscera secretoria, & haec sit communis naturae lex in secretione, ut liquor secretus ex arteriis in folliculum aliquem deponeretur, ex quo demum ductus excretorius prodeat.

Varia argumenta in confirmationem hujus sententiae afferebant Malpighius & asseclae. 1.<sup>o</sup> Certè dantur glandulæ nonnullæ simplices & compositæ evidenter folliculosæ: cur & aliæ non ita fabrefactæ essent, quarum structura non ita patet? 2.<sup>o</sup> Absque folliculis non possunt explicari variæ morbi in omnibus corporis partibus observabiles, ita tumores schirrosi, cystici, aquei, grandines in variis visceribus continuo observati, non nisi ex follicularum ubicumque presentium extensione. Inde absque folliculo secretionem peragi non posse omnibus acceptum est.

XCIV. Hanc sententiam accepit & *Ruischius*, sed dein refutavit meliora edoctus: quippe nihil nisi structuram vasculosam per suas injectiones in textu organorum secernentium detegebat. Maceratio & injectio vasa cylindrica ubicumque demonstrabat; ita ut acini quos cavos reputabat *Malpighius*, jam non essent nisi fines arteriarum minimarum in fasciculos aut glomeres conjuncti. Sententiam Malpighianam tuebatur *Boerhaavius*, & objiciebat materiam ceraeum vasa majora replentem cavitates minores elidere, hinc fidem non omnino mereri; sed nullâ violentiâ utebatur *Ruischius*, & liquores injecti facilimè per extrema arteriarum in intestina ad cutem & ad vias urinarias deveniunt. Præterea fiunt saltæ aliquæ secretiones absque follicularum suspicione & per meram vasorum continuationem; ita humores oculi, succus intestinalis, perspiratio externa & interna,

liquor nervos permeans. Quod spectat verò argumenta à variis tumoribus ubicumque reperiundis desumpta , ex textūs cellulosi & vasorum lymphaticorum distensione facilè explicantur. Tandem omnibus argumentis à Boerhaavio propositis ea quæ oculis demonstraret opponebat Ruischius.

XCV. Viscerum secretiorum ultimam strūcturam, vix ultra Malpighiana & Ruischiana inventa promoverunt Anatomicorum labores : vascula tamen, minima, cylindrica, alba, in intimo eorum textu, cum substantiâ gelatinosâ quæ eorum intervalla replet vidisse asserit Clariss. Ferrein Mem. de l' Acad. 1749. Si verò nostram sententiam ex alienis & propriis laboribus aperire liceat ; certò plurima organa secretoria nihil nisi strūcturam vasculosam exhibere affremus ; alia verò esse in quibus strūctura folliculosa vel quasi cellulosa etiam certò appareat, & in hoc jam videtur natura ad varios fines tendere.

#### SECTIO SECUNDA.

##### *Classe humorum secretiorum.*

XCVI. Si ad indolem humorum secretiorum attendamus, ad quatuor præcipuas classes reduci possunt. Prima est humorum aqueorum ob magnam rationem aquæ ad reliqua elementa. Liquiditate maximâ donantur, ab igne dissipantur, ab alcoholè vini, aut spiritibus acidis non coagulantur. Eorum aliqui è corpore amandantur inutiles: ita sudor, transpiratio, urina ; alii ad peculiares usus conservantur, ita saliva, succus pancreaticus, lacrymæ, humores oculi.

Secundum genus est humorum mucosorum ; lenti sunt & viscidj, difflatâ aquâ in crustas siccas abeunt,

neque igne, neque ab ullis liquoribus dissipantur. **Talis** est mucus obungens vias aëris, ciborum & urinæ, eas ab acrimoniâ & siccitate defendens, semen, liquor prostaticus. Altera classis est humorum gelatinosorum vel lymphaticorum qui ad albuminis naturam accedentes, igne & alcohole vini coagulantur. Ita lympha halitiosa cavitatum, liquor articulationum, capsularum renalium, liquor gastricus, intestinalis.

Ultimum genus est liquorum inflammabilium & oleosorum. Huc refertur bilis, cerumen aurium, sebum & unguen cutaneum, medulla ossium, pinguedo, lac ipsum quatenus butyrum continet. Sunt & aliqui humores miscellanei ad classes modò dictas vix referendi; unde patet maximam esse inter diversos humores secretorios discrepantiam.

### S E C T I O T E R T I A.

#### *De causis diversitatis humorum.*

**XCVII.** Si quæramus quomodo ex uno & eodem sanguine tot & tam diversi humores generari possint in unoquoque organo, varii varia respondent. Facultas attractiva sufficiebat veteribus. Fermentum unicuique organo proprium assignarunt *Helmontius*, *Willisius*, quod sanguinem ejus visceris in suam naturam converteret: sed horum fermentorum originem non indicant, & talia cum motu humorum perficere non posse haud perpendunt. *Cartesius* definitæ figuræ particulas, per poros ejusdem figuræ in ultimis vasibus secedere afferuit, & post eum Mechanici plures, sed neque particularum neque pororum diversitatem ullo modo indicare valent. Præterea nullam aliam figuram nisi circularem posse habere liquorum moleculas & orificia, demonstrant leges hydraulicæ ac injec-

fiones : si verò tantùm diametro differant, sequitur  
 maxima inter humores confusio, & quomodo sibi  
 supplere possint secretiones in hac sententiâ non in-  
 telligitur. Qui Archæum, naturam vel animam par-  
 ticulas varias feligentem afferunt, nihil explicant. Vasa  
 secretoria capillaribus tubis similia textu celluloſo intùs  
 repleta, uno liquore imbuta nonnisi illum recipere,  
 alios excludere proposuit *Winstovius*; sed semper re-  
 manet explicandum quomodo in primâ fœtûs deli-  
 neatione, organa quælibet proprio humore imbuta  
 fuerint, & non intelligitur tanta diversitas humorum  
 fœtûs, embryonis vel pueri cum humoribus adulti;  
 tandem secretiones per morbos turbatæ non resti-  
 tuerentur. Attractionem adduxit *Keilius*; adhæsionem  
 ad solidas particulas ejusdem densitatis finxit *Ham-  
 bergerus*, hinc eos humores ad ea vasa secretoria  
 attrahi quorum pondera humoris particularum pon-  
 deribus sunt proxima; sed liquores diversorum pon-  
 derum subeunt eadem vasa secretoria; non conve-  
 niunt pondera specifica humorum cum ponderibus  
 specificis organorum; ad leviora solida fluida gra-  
 viſſima adhærent; non ita lentus est motus, faltem  
 in aliquibus organis secretoriis, ut fiat adhæſio; adde  
 quod turbentur non raro & misceantur secretiones,  
 dein restituantur. Tandem Clariss. *Delamure* posuit  
 eos humores in unoquoque organo secerni quorum  
 particulae tale momentum habeant ut superent resi-  
 tentiam ductuum excretoriorum, & eos tantùm ad-  
 mitti quorum momentum distendendo lumini canalis  
 sufficiat: addit tamen nervos vim resistentem orga-  
 norum augere ad certum gradum. Sed hæc sententia  
 neque formationem humorum explicat, neque cum  
 phænomenis congruit. Variam sensibilitatem quæ non  
 nisi liquoribus propriis afficeretur in unoquoque or-

gano attulit Celeb. *de Bordeu*, quasi feligeret particulas proprias : sed inde non explicari secretionis mechanismum, & nihil hucusque certi tradidisse physiologos fateamur.

**XCVIII.** Priusquam nostram sententiam de causâ varietatis humorum aperiamus, pro certo accipiamus omnes humores in sanguine tantum materialiter contineri, non verò formaliter. Nunc si causas variantes inquiramus, non unicam, sed plures invicem diversè combinatas docet natura. 1.º Videtur disponere varia indoles & varia celeritas sanguinis ad quodlibet viscus allati ; & hæ sunt conditiones prædisponentes. 2.º Ad varietatem magis efficiunt retia vasorum quæ diversa esse docuerunt injectiones in diversis organis, ostiolorum secretorum diversum lumen, canalis fecerentis & excernentis diversa densitas, longitudo, rectitudo vel anfractus, folliculorum & receptaculorum præsentia vel absentia. Hæ sunt causæ quæ variis locis corporis variæ, solæ vel combinatæ innumeris modis, dant rationem intelligendi innumerabiles species liquorum secretorum in vegetabilibus & animalibus. Neque ideo naturæ divitias exhausimns, cum in fabricâ intimâ plurima latere queant quæ nos in æternum sint fugitura.

#### S E C T I O Q U A R T A.

##### *De Excretione.*

**XCIX.** Causam excretionis assignant Mechanici compressionem glandularum à partibus vicinis : sed plurimæ glandulæ talibus alternis compressionibus non exponuntur, & docent experimenta has mechanicas compressiones liquores secretos vix exprimere, secretiones verò non promovere, & ad earum phænomena

nō sufficere. Propriā actione donari quodcumque corpus glandulosum vivum secernens docuit & demonstravit Clariss. *de Bordeu. Recherches sur les glandes.* Spasmodum, erectionem, actionem organicam dixit, quā fit ut ad unum & determinatum organum uberiū affluant humores, & inde promoveatū secretio & excretio. Hujus actionis organicæ exempla observantur in secretione & excretione lacrymarum, seminis, lactis, salivæ, urinæ, succi pancreatici; sudoris, tum in statu sano, tum in statu morboſo; ratio verò nondum benè intelligitur & forsan semper latebit.

## C A P U T V.

*De respiratione & actionibus ab ipsâ pendentibus.*

C. **A**LTERNUS ille motus quo aér pulmonem ingreditur & alternatim ex illo expellitur dicitur respiratio. Partim voluntaria, partim spontanea hæc functio pulmonis ope & mobilium thoracis parietum exercetur. In hac pertractandâ ita versabimur. 1.<sup>o</sup> Anatomicam partium respirationi famulantium considerationem & ipsarum actionem præmittemus. 2.<sup>o</sup> Aëris accendentis naturam & indolem quantum ad respirationis mechanismum interest evolvemus. 3.<sup>o</sup> Phænomena, causam & utilitates respirationis perpendemus. 4.<sup>o</sup> Variarum à respiratione pendentium actionum mechanismum declarabimus.



## SECTIO PRIMA.

*De structurâ & actione partium respirationi famulantium:*

C I. In thorace sedent organa respirationis. Partes ossae hanc cavitatem constituentes sunt duodecim vertebræ dorsales, in posteriori & mediâ pectoris parte sitæ, quibus annexuntur totidem costæ latera pectoris componentes. Columnam dorsalem constituant vertebræ quæ supra se positæ, ope cartilaginosæ substantiæ intermediæ, tum & ligamentorum ambientium validè retinentur, costis basim præbent. Illæ nempe in arcum irregularem flexæ, à vertebris ad sternum pervenient mediante cartilagine anteriùs interpositâ. Posterior pars duplex gerit capitulum, quorum unum ad interstitia corporum duarum vertebrarum, & aliud ad transversos earum processus necitur. Has articulationes ambient valida ligamenta. Septem costæ superiores distinctas habent in sterno articulationes, & veræ dicuntur: quinque inferiorum cartilaginiæ in unam insertionem coalescunt, & spuriæ nominantur. Imæ duæ libiores sunt quòd ad apophyses transversas vertebrarum non retineantur. Sternum verò est os tenuë & spongiosum, complanatum, multiplice parte in juniori compositum, superiùs latius, inferiùs in mucronem angustum cartilagineum terminatur qui appendix xiphoides dicitur. Claviculæ superiùs firmiter, lateraliter costæ ad sternum retinentur.

C II. Sic oritur cavitas ampla, firma simul & mobilis, varia viscera defendens: mobilitatem variam in diversis costis demonstrant anatome & experimenta. Liberrimè fluctuant duæ inferiores; stabiliores sunt tres sequentes, ita ut sursum magis & magis immo-

biles fiant ; suprema fere non movetur. Cartilagineæ partes costarum elevationem non cohibent, sed moderantur, ipsius sterni ita motum dirigunt ut illud magis antrorsum cedat, & paululum elevetur in inspiratione, deprimatur verò in expiratione ; maximum exinde elucescit artificium ad mobilitatem cum firmitate in parietibus pectoris servandam.

CIII. Multiplices musculi parietibus pectoris infixi respirationi omnino dicantur ; sunt alii qui licet alias usus exequantur, sub certis circumstantiis ad respirationem etiam conferunt. Inter musculos respirationi proprios, primi veniunt intercostales seu plana muscularia quæ replent intervalla costarum. Unum planum est externum, aliud internum. Externorum directio est, ut à margine inferiori costæ superioris in marginem superiorem costæ inferioris obliquè à parte posticâ ad anteriores descendant. Ad sternum usque non extenduntur, & reliquum spatium inter cartilagines ad sternum usque aponevrosis habet. Intercostales interni exteros decussant, à sterno incipientes, prope tubercula costarum terminantur.

De actione intercostalium externorum nemo ambigit, & elevare costas omnes consentiunt, propter mobilitatem costarum inferiorum & hypomoclii majorem in parte inferiori distantiam. Maximè verò de actione intercostalium internorum disputant nonnulli ; cum enim directionem quam credunt externis oppositam habeant, & inferior eorum extremitas propior sit hypomoclio, hos musculos costas deprimere afferunt. Sed longè validior est firmitas costæ superioris quam mobilitas orta à majori distantia ab hypomoclio, & ad illam primam costam, sive à parte anteriori ad posteriorem, sive à posteriori ad anteriores dirigatur potentia, elevantur costæ inferiores mobiliores.

Probant fila squeleto humano flexili affixa & attracta secundùm directiones intercostalium muscularum internorum. Demonstrant vivorum animalium sectiones quibus constat in elevatione costarum internos musculos operari, in depressione laxari; quin & repugnat unum planum contrahi dum alterum relaxatur, siquidem eadem intervalla replet utrumque.

**CIV.** Costas adhuc elevare possunt alii musculi: subclavius nempe, scaleni, sternomastoideus, cervicalis descendens, ferrati posticí superiores, an & inferiores? ferrati anteriores majores & minores, pectoralis major, latissimus dorsi, sacro lumbalis & longissimus dorsi. Omnes hi musculi vel costis, vel ipsis partibus se inferunt quæ costarum motum possunt regere, & licet non ad costarum motum imprimis destinati, ad illas elevandas in aliquibus circumstantiis nonnihil agere possunt. Costarum depressores pauci sunt. Hanc tamen depressionem valent adjuvare infra costales, triangularis sterni, maximè verò musculi abdominis; obliqui nempe ascendentes & descendentes, recti & transversi, ubi ad punctum fixum in parte inferiori se contrahunt.

**CV.** Primarius verò respirationis musculus est diaphragma: transversim positum separat thoracem ab abdomen superiora versus fornicatum; adhærens habet pericardium in parte sinistrâ. Carneum in ambitu, cartilaginis xiphoidis faciei internæ, dein quinque ultimis costis inferit, post aliquod intervallum in quo nuda pleura peritoneum contingit, in duos appendices teretes & validos inæquales colliguntur ipsius fibræ. Dexter ad quartam vertebram lumbarem extenditur, sinister verò ad secundam, inter utrumque spatium est pro transitu arteriæ aortæ, venæ azigos & ductus thoracici. Fibræ omnes car-

neæ ex ambitu ad centrum venientes in tendineam naturam mutatæ efficiunt centrum septi transversi, figuræ inæqualis, ad trifolium accendentis. Duo foramina habet diaphragma, unum dextrum, quadratum, fasciculis validis tendineis cinctum, in ambitu laxum pro transitu venæ cavæ; aliud sinistrum, ellipticum, fibris se decussantibus inferius compositum, pro transitu æsophagi. Per proprios nervos maximè notandos dirigitur hic musculus. Ramulos equidem nonnullos minores à nervis lumbaribus, magno intercostali & plexu stomachico accipit, sed præcipui sunt nervi phrenici qui ex colli nervis ad thoracem descendunt, ad latus mediastini & pericardii excurrentes ex utroque latere, ramos suos intra carnes diaphragmatis dispergunt.

**CVI.** Ex institutis circa nervi phrenici efficaciam experimentis, constat quod puncto, irritato, contrahatur & convellatur diaphragma; compresso, ligato, vel reflecto hoc nervo quiescit diaphragma, respiratio supprimitur, neque redit nisi sublato vinculo aut irritatione factâ sub sede pressionis, vinculi aut sectionis. Totâ medullâ spinali infra sextam vertebram rescissâ, musculi pectoris reliqui motum suum amittunt, solius diaphragmatis beneficio animal pergit spirare. Inde demonstratur vim eam quâ respirationem diaphragma adjuvat ab eo nervo potissimum pendere, neque absque eo reliquos surculos qui ad diaphragma accedunt ad motum sufficere. Arterias duas phrenicas diaphragmati dat aorta; aliquos etiam ramos habet à mammariis, intercostalibus & lumbaribus. Venæ ejusdem nominis huc etiam disperguntur.

**CVII.** Dum agit diaphragma, carnosa ejus in ambitu posita portio contrahitur, lacerti quibus componitur breviores fiunt, corrugantur, medium mobile seu tendinea pars deprimitur & plana fit, diameter perpen-

icularis thoracis augetur, & tantum decedit de longitudine abdominis, omnia viscera abdominalis comprimuntur, contra resistentes musculos impelluntur, fit inspiratio. Ubi verò relaxatur diaphragma, ascendit pars tendinea intra thoracem, fornicem facit, intus & sursum reprimuntur viscera à musculis abdominalibus, fit expiratio.

**C VIII.** Sub unaquaque costâ repit in sulco osseô hîc exsculpto arteria una cum venâ & nervo. Primas arterias intercostales producit subclavia, reliquæ ab aortâ nascuntur. Ramos adhuc mittit arteria mammaria interna. Sanguinem revehunt venæ intercostales quæ in venam peculiarem maximè notandam se exonerant; venam azigam dicunt, quæ ex venâ cavâ prope pericardium nascens ad latus dextrum vertebrarum procedit, venas intercostales ex utrâque parte accipit, ad abdomen usque descendit, & in venâ cavâ inferiori vel venâ renali irregulariter aperitur. Hoc admirabili apparatu fit ut liberrima hîc nec impedita à copioso sanguine venæ cavæ fiat sanguinis circumductio. Nervi intercostales à medullâ spinali originem ducunt.

**C IX.** Internam superficiem pectoris ambit pleura, totam cavitatem in duas partes inæquales dividit mediastinum. Vapore aliquo madet utriusque superficies qui per extremas arterias continuò exhalat, & per venulas resorbetur. Hic celeberrima agitatur quæstio, an scilicet aëris inter pleuram & pulmones existat? Dixerunt aliqui hunc aërem rarefieri in inspiratione, & eundem restitutum comprimere pulmonem in expiratione. Hanc sententiam confirmare credunt exemplis avium. Omnia tamen hanc refutant. Retrò pleuram animalis quadrupedis vivi aut cadaveris, pulmo nudus oculis distinguitur, & nullum spatium est intermedium. Perforatâ pleurâ, pulmo se, quamprimum ab aëre at-

tingitur, ad vertebrae recipit. Majora vulnera, aëre in unum cavum thoracis admisso, respirationem minuunt, in utrumque recepto suppressunt. Sub aquâ apertus thorax nullam emittit aëris bullulam. Adhæsio pulmonum ad pleuram vix lœdit respirationem. Pori pulmonis tandem non transmittunt aërem. Ergo ipsius aëris suppositi origo, neque renovatio, neque existentia demonstratur; quin & respirationem lœderet.

**CX.** Saccos pleuræ replent pulmones. Unus dexter est, alter sinister: figuram habent infernè latam, supernè angustiorem. Major est pulmo dexter & frequentius in tres lobos divisus: sinister duos habet. Liberi ex magnis vasibus & tracheâ arteriâ suspenduntur pulmones. Membranâ quæ est pleuræ continuatio obtegitur pulmo, & etiam vapore irroratur. Si ad intimam hujus visceris fabricam penetrare satagimus, duplex vasorum genus distinguimus. Alia aërem ducunt, alia sanguinem vehunt. Aëri vehendo inservit aspera arteria ex larynge oriens. Est nempe canalis cartilagineus partim & carneus, semper apertus, supra œsophagum situs, medium per collum descendens. Alternatim sibi succedunt annuli cartilaginei & membranei: illi tenues sunt & elasticæ, in parte posticâ œsophago impositâ abscissi habent fibras musculosas, quarum aliæ sunt transversæ, aliæ longitudinales. In hoc canale plures sedent glandulæ mucosæ ipsius superficiem internam lubricantes, quæ sensilitate maximâ donatur.

**CXI.** Ubi dein ad supremum thoracem pervenit aspera arteria, dividitur in duos ramos trunco similes, quorum uterque in suum pulmonem abit, dexter autem brevior est & latior, bronchia dicuntur. Ubi in pulmone sunt, magis ac magis dividuntur in tenuiores ramos: cartilaginei annuli tunc membranei sunt & in extremis suis vesiculas appensas habent ex quibus lobuli

& lobi pulmonum conficiuntur. Hæc sunt aërea vasa. Ramis, uti trunco asperæ arteriæ, adsident plurimæ glandulæ conglobatæ. Arteriæ bronchiales duæ sunt, quarum una ab intercostali supremâ orta dextro pulmoni prospicit; altera à trunco aortæ ad sinistrum pulmonem tendit. Venarum bronchialium dextra in azigam, sinistra in venam subclaviam confluit. Hæc sunt vasa substantiæ pulmonis propria.

CXII. Alia majora vasa sanguinea pulmoni data sunt, arteria nempe & venæ pulmonares. Illa ex supremâ sede cordis anterior exit, in duos dein trunços dividitur quorum unusquisque ad unum pulmonem tendit. Hi trunci & sibi comites & asperæ arteriæ, incedunt in pulmonem multâ cellulosa circumdati. Ultimis ramis superficiem vesicularum extremis bronchiis appositarum reticulatim dispositis coronant, & ibi vel in venam rubram continuantur, vel vasis tenuioribus originem præbent. Liberum iter ex arteriâ pulmonari in venas pulmonares probant injectiones, & inspectiones microscopicæ. Non minus facilis est via ex arteriâ pulmonari in bronchiorum & vesicularum cava. Hinc aqua tincta & aliæ injectiones tenuiores ex arteriâ pulmonari in asperam & in venas pulmonares, vicissim ex asperâ in pulmonarem arteriam redeunt. Venulæ tandem ex arteriis pulmonaribus natæ confluunt sensim in trunços quatuor. Singulos ramos arteriosos ramis venosis sociis comparatos, esse majores & numerosiores crediderunt nonnulli, sed negant experimenta à Clariss. *Portal* instituta. Vasa lymphatica in ambitu etiam distribuuntur. Nervos habent pulmones ab octavo pari, à recurrente & à cardiacis plexibus nonnullos.

CXIII. Spongiosa ac mollis est pulmonis substantia, & nihil aliud videtur nisi cellularum membra-

nosarum vasis arteriosis & venosis disseminatarum aggregatio. Nempe ubi maximè divisi sunt tubi bronchiales, in folliculos membranaceos exsurgunt: cellulæ illæ racematis dispositæ sibi invicem adhærent, adeo ut ex uno bronchiorum ramo in plurimas cellulas, & rursus ex his in illum pateat aditus. Ultimæ divisiones arteriæ & venæ pulmonaris innumeris anastomosibus coëunt, & supra vesicularum bronchialium superficiem textum reticulare Malpighii conficiunt. Inter illas vesiculas sunt spatiola telâ cellulosâ repleta quæ dicitur textum interlobulare vel parenchyma pulmonis. Irregulares sunt illius cellulæ, & invicem communicant innumeris adhuc vasculis pictæ.

## S E C T I O   S E C U N D A.

*De Aëre,*

CXIV. Aër, ex physicis, est fluidum grave, invisibile, elasticum, circa nos undique sparsum. Membranas difficilè penetrat, præcipue si madidæ fuerint. Cum corporibus fluidis solvitur & tunc fit fixus. Corporibus solidis etiam majori aut minori quantitate & maximâ partibus animalibus adhærescit. Docent experimenta corpus humanum premi ab aëre eâdem vi quâ premeretur à columnâ aqueâ 34 pedum aut mercurii 29 pollicum, quæ pressio variat tamen pro diversis circumstantiis. Elaterem suum amittit aër per ipsam respirationem animalis. Hinc in aëre non renovato animalia brevi pereunt. Hunc elaterem adhuc frangunt vapores varii, qualis ille sulphuris accensi, pirii pulveris inflammati, carbonis incensi, cavernarum diversarum. Aër quem vulgo pulmone recipimus impurus est; quippe copiosissimis aqueis vaporibus & alterius indolis, seminibus vegetabilium &

& innumeris corporibus heterogeneis scatet. Quantum ad sanitatem conservandam conferat aér docebit hygiene : sufficiat si ibi ex physicis revocemus quòd aér circumfusus undique terræ , pressus ab incumbentibus supernè & lateraliter columnis , subeat ubicumque minus resistitur. Hinc sublato equilibrio , aér in locum qui minus resistit descendit ubique ventum producens.

## S E C T I O   T E R T I A .

*De phænomenis & de mechanismo respirationis.*

CXV. Tota respiratio duabus periodis continetur ; inspiratione nempe & exspiratione. In primâ , pulmonem aér ingreditur per rimam glottidis cum maximâ celeritate , pectus dilatatur secundùm omnes dimensiones ; in secundâ aér expellitur , pulmo collabitur , pectus arctatur. Cum verò ea sit natura aëris ut in quodcumque spatiū expeditus succedat in quo minorem experitur resistentiam ; sequitur quòd si pulmo & pectus unâ dilatentur , ita ut aér pulmonarium vesicularum in amplius spatiū diffusus rarescat , quâ proportione is aér atmospherâ incumbente rarer fit , columnā aërea in pulmonem descendet eò celerius quò differentia densitatum major erit. Hæc est vera causa inspirationis. Hinc aperto pectore , respiratio destruitur aut valde laeditur. Non necesse est igitur ad circulum Cartesii , ad arteriam pulmonarem per vires cordis dilatatam , nec ad vim pulmonis innatam recurrere.

CXVI. Vis primaria thoracem dilatans est dia-phragma ; ubi enim detrahitur hic musculus , aér in pectus subit per proprium pondus , pulmo extenditur , deprimuntur viscera abdominis. Musculorum inter-costalium actio vix percipitur in inspiratione naturali ,

elevant tamen costas in inspiratione violentâ : hanc costarum elevationem adjuvant adhuc plures musculi priùs dicti (104) voluntati obedientes, ubi intensior est respiratio aut difficilior. Ergo hac actione quæ inspiratio dicitur, in vesiculas pulmonares aër per proprium pondus irruit, eas extendit. Vasa simul quæ cellulas bronchiales circumdant extenduntur, dum de-lentur aut saltem diminuuntur plicæ retardatrices, obex imminuitur, liberiùs sanguis majora & minora vasa pulmonis perreptat. Pressionem aëris in sanguinem negligere possumus, cum minimum sit pondus relatè ad vim cordis.

**CXVII.** Ab inspiratione igitur liberior redditur transitus sanguinis à corde dextro ad sinistrum. Hinc vena cava utraque se celeriter deplet, & sanguis de cerebro ac de venis totius corporis ad cor rapitur ; omnes venæ cordi propiores subsident in inspiratione. Hinc explicatur 1.º cur immeabilis pulmo quando collapsus, meabilis reddatur aërem insufflando : 2.º cur facilius per inflatum pulmonem transeat injectus liquor. 3.º Cur de inciso pulmone sanguis per inspirationem celerius projiciatur. 4.º Cur inspiranti homini pulsus celerior. 5.º Cur sanguinis majori copiâ de corde expulsâ, respirationes majores fiant & frequentiores, contrà rariores & minores, si sanguinis copia minor fuerit. 6.º Huc redit experimentum Hoockii. 7.º Tandem sanguinis circulatio extincta post suffocationes potest restituiri per aëris insufflationem, & vita fugitiva revocatur, quod experimentum ad submersos fuit aliquando feliciter applicatum

**CXVIII.** Hæc inspiratio motui sanguinis adeò favens, à corde dextro in sinistrum, si diutiùs continuetur, obicem creat & sanguinis per pulmones transitum impedit. Probant phænomena in animalibus &

hominibus qui aërem inspiratum exspirare nequeunt observanda, hæmorrhagia nempe, anxietates, suffocationes, mors aliquando inde orta; quippe in diuturnioribus inspirationibus, ut in nixu, sanguis venosus, maximè capitis, stagnat ante cor dextrum, faciem tumefacit, rumpit aliquando venas cerebri, colli, intestinorum, renum, pulmonis. Hæc est causa mortis in aëre compresso, in submersis, in strangulatis. Probant adhuc incisiones suffocatorum. Causam hujus congestionis assignant nonnulli aërem per rarefientiam, vel per pondus vasa sanguinea comprimentem; sed aër duplo gravior magis læderet quam duplo levior; præterea aër duplo densior & frigidior magis noceret quam aër calidior & levior. Contrarium docent observationes, & si minor quantitas aëris per respirationem adducitur, idem evenit. Hinc aliam causam hujus congestionis assignat *Hallerus*; aërem nempe in pulmonibus retentum & vitiatum accusat, qui elasticam naturam deponit, inde collabuntur vesicæ non satis distensæ, & obicem sanguini circulanti creant, inde sanguis congeritur intra vasa pulmonis, auriculam dextram & venas proximas; oritur anxietas quæ levatur exspiratione aërem inutilem vitiatum rejiciente. Docent revera experimenta aërem respiratum suam elasticitatem amittere. Quidquid sit de hac quæstione, certum est quod ex inspiratione continuata sequatur molestia ad quam levandam necessariò fit exspiratio.

**CXIX.** Quibus verò causis agentibus post exspirationem sequatur automatica inspiratio, & post inspirationem necessaria exspiratio, maximè dubii hærent physiologi. Aliqui adducunt alternam contractionem antagonistarum musculorum inspirationi & exspirationi inservientium: sed eâ ratione, omnes in corpore humano musculi perpetuo motu alternarent. Alii affe-

runt alternam compressionem & relaxationem venæ sine pari ; dicunt nempe in inspiratione hanc venam comprimi , stagnare sanguinem in muscularum intercostalium vasis , & ita resolvi respirationis authores præcipuos , inde exspiratio , quâ vena dicta liberatur , & sequitur nova inspiratio. Sed à turgentibus venis lentissimè franguntur vires muscularum. Præterea non ita comprimitur vena sine pari , & venæ intercostales alia adhuc habent effugia. Alii alternam compressionem & dilatationem aëris inter pulmonem & pleuram assument ; sed jam huic hypothesi responsum est (109). Huic questioni sic respondit *Boerhaavius* : in inspiratione minus sanguinis transit ad cor sinistrum , hinc minus in cerebellum , debilitantur causæ dilatantes thoracem , & ita superantur ab antagonismo perpetuo virium exspiratoriarum. Multa huic sententiæ repugnant. Inde sequeretur enim debere etiam percipi omnium aliorum muscularum alternam resolutionem , & ipsius cordis. Præterea si ita actio cerebelli imminuatur ut resolvantur musculi inspiratori , quare tamen musculi exspiratori in actum carent ? Si soluta est illa circuitus sanguinei mora , cur non persistunt in agendo inspiratori ? Certè hæc non sinunt admitti hanc sententiam. Alii celebriores nuperi ad voluntatis & animæ imperium recurrent ; dicunt nempe vi sapientissimæ fabricæ ad primum sensum incommodi nati ab impedito transitu sanguinis , laxatis viribus exspirantibus , inspirantes in motum cieri , motum sanguinis per pulmonem liberari & accelerari. Sed nonne insciī respiramus in somno , in apoplexiā & absque ullo anxietatis sensu ? Exspiratio sequitur inspirationem in respiratione placidâ & naturali. Unde adhuc oriretur necessitas primæ inspirationis ?

- CXX. Cum nullam inter has hypotheses admittere

finant illæ difficultates, aliam accipimus à *Cel. Martine* allatam, *Essais d'Édimbourg* tom. 1. Diaphragma est musculus respirationis primarius ( 106 ) qui per nervos phrenicos dirigitur, & tenacissimâ irritabilitate donatur. In his nervis primariam alternæ inspirationis & exspirationis rationem quærendam esse, nos suadet peculiaris eorum situs & ortus. Quippe in inspiratione nervi phrenici coarctantur per compressionem & per tensionem, diaphragma resolvitur, imminuto influxu nerveo succedit exspiratio. Expulso aëre, liberatur à compressione nervus vel relaxatur; accedit fluidum nerveum actionem diaphragmatis producens. Sic agitur respiratio naturalis spontanea. Voluntati equidem obediunt alii musculi respirationem voluntariam dirigentes, & cum diaphragmate cooperantur. Ad hanc hypothesim nos ducunt experimenta circa hos nervos instituta. Cur verò in utero fœtus inclusus non respiret explicatu difficile. Forsan quia diaphragma descendere nequit. Necesitatem primæ inspirationis à suctione sibi familiari quâ in utero humorem alentem absorbebat fœtus, eruere vult *Hallerus*: potius à propensione quam diaphragma habet ad contractionem ex irritabilitate, eruimus. Non negamus aliquas difficultates hic opponi posse; quippe dicunt non ita dispositum esse nervum phrenicum in avibus, compressionem illam non sufficere ad intercipiendam nervi actionem, neque esse majorem in inspiratione quam in exspiratione. *Vrisberg prog. Gotting.* 1763. Tamen peculiaris hujus nervi situs, distincta origo aliquid in ipso latens indicat. Unde verò fœtus qui semel respiravit, ab illâ functione nequeat absistere sine periculo mortis, jam quæsivit *Harveius*. Rationem reddit copia major sanguinis post inspirationem semel peractam in arteriam pulmonarem irruentis, & quò paten-

tior fuerit via, eò minus ab illâ functione abstinere potest recens natum animal. Hoc suadet in amphibiis absque respiratione viventibus via sanguinis libera, & circulationis lex in foetu non respirante.

**CXXI.** Relaxatum diaphragma elevatur in thoracem, agunt musculi abdominales, viscera contra septum urgent; sic pectus omnimodo angustius & brevius fit: expellitur de pulmone pars aëris tanta quanta sufficit ad tollendum obicem circulationis; non omnino evacuari videntur vesiculae. Pulmo cedit, flaccescit, eliditur. An reagit fabrica musculosa bronchiorum? Ipsae costæ quarum articulationes mobiles sunt resiliunt per elasticitatem cartilaginum, & se in statum exspirationis spontaneo motu reponunt. Hinc exspiratio facilior, velocior inspiratione, in moriente ultima fit.

**CXXII.** Violenta respiratio variorum musculorum voluntati obedientium actionem exigit: inspirationi violentæ succedit exspiratio itidem violenta quam agunt musculi abdominales, & adjuvant sacrolumbaris, latissimus dorsi, quadratus lumborum, triangularis sterni. Hæc violenta respiratio ex voluntate nostrâ, vel ex morbo pulmonum & thoracis statu dependet; sed in statu naturali sufficit pressio atmospheræ & muscularum abdominalium contra diaphragma relaxatum.

**CXXIII.** Effectus exspirationis sunt vesiculas deplere, vasa sanguinea pulmonis premere, angulos bronchiorum acutiores reddere, vasis reticularibus pondus vicinorum imponere, sic partem sanguinis arteriolis capillaribus impactam ad cor sinistrum promovere, novo sanguini à corde venienti resistere. Inde sanguinis per venas refluxus quæ turgent in exspiratione, *Mem. de M. Haller tom. 1. p. 160.* Inde mors animalium in spatio aëre vacuo. Ille obex levabitur, statim ac aër pulmonem ingredietur.

CXXIV. Ex his omnibus itaque constat respirationem homini sano & adulto esse omnino necessariam; nam siue in inspiratione pulmo manserit, siue in exspiratione, perinde perit animal, & ita sunt dispositae vires thoracem dilatantes & constringentes, ut alternativam sibi succedant. Hinc nullum animal quod pulmonem nostro similem habet, aëris usurâ supra pauca minuta carere potest, quin vel pereat, vel certè in eum statum incidat qui à morte solâ suscitabilitate differt. Inde eruitur methodus suspensos, vel vapore carbonum extintos & submersos ad vitam revocandi.

## SECTIO QUARTA.

*De utilitate respirationis.*

CXXV. Maximam utilitatem respirationi tribuunt aliqui, nempe ut aëris elasticus per pulmonem in sanguine recipiatur. Hujus aëris existentiam demonstrare contendunt, ex aëre in sanguineis vasibus & telâ celullosâ reperto, ex tumore quem acquirunt animalia quæ in spatio aëre vacuo retinentur, ex strepitu quem aliquando edunt articulationes, ex corporibus odoratis & venenatis quæ in atmospherâ dispersa suum effectum edunt in sanguinem, ex aëre qui ex diversis humoribus extrahitur, & quidem non parcâ copiâ, ex imminutione ponderis aëris qui sæpius est inspiratus. Repetunt tandem floridiorem esse in venâ quam in arteriâ pulmonari sanguinem, & eum ruborem pendere ab aëre. Addunt illi necessarium esse talem aërem, ut equilibretur cum aëre atmosferico. Alias adhuc utilitates ex aëre elatico intra sanguinem resumpto sperant; inde oscillationes, motum progressivum & intestinum, calorem & fluiditatem, fermentationem produci dicunt. Alii activas, spirituosas,

æthereas, vel spiritum vitalem ex aëre in sanguinem venire docent. Aliqui hunc spiritum salinum volunt, plurimi nitrum aëreum hic cum sanguine misceri afferunt, & inde sanguinis colorem rubrum eruunt.

CXXVI. Contra hæc Doctorum Virorum placa, aërem elasticum in sanguine existentem sub statu fano plurima refellunt. 1.<sup>o</sup> Aér cum sanguine, & cum alio quocumque liquore mixtus, fixus est, uti norunt Physici. 2.<sup>o</sup> Hanc aëris elastici admissionem negant exilitas vasorum inhalantium capillarium, mucus perpetuò illinens vesicularum pulmonarium parietes; scimus enim aërem humidas membranas non penetrare. 3.<sup>o</sup> Idem aér impulsus asperæ arteriæ non transit in cor nisi validâ vi pressus. 4.<sup>o</sup> Nihil demonstrat aér qui bullarum specie in vivorum animalium nonnullorum sanguine visus est, quippe per vulnera subiit, vel ex non elastico fit elasticus gelu, putredine; sed in fani calidi animalis sanguine bulla ærea nunquam visa est. 5.<sup>o</sup> Experimenta in vacuo spatio instituta unicè ostendunt aërem elasticitate defitatum in nostris humoribus existere, qui expediatur dum externi aëris pressio removetur, uti ex omnibus liquoribus. 6.<sup>o</sup> Animal cui aér in sanguinem insufflatur perit certò, & velociter. 7.<sup>o</sup> Non satis certum est sanguinem venarum pulmonarium ruborem habere majorem; nitrum in aëre verè non existit, neque in animalium liquoribus. 8.<sup>o</sup> Aliam causam ac aëris actionem pro causâ rubedinis sanguinis affig-nare debemus.

CXXVII. An refrigeratur in pulmone sanguis, ibi condensatur, & ideo venæ pulmonares minores arteriis? Ita afferunt post veteres *Cartesius*, *Helvetius*, *Hambergerus*. Si credamus *Galenο*, respiratio est actus pulmonum aërem attrahentium, ut hujus frigore san-

guinis fervor temperetur, & spiritus generentur, tum eumdem rursus emittentium, ut è vicino cordis foco natae fuligines unà cum eo explodantur. Refrigerari in pulmone sanguinem verum est, ideo quòd aëri aliquid de calore suo tradat. Sed eum finem naturæ non fuisse in respiratione demonstratur. Quippe sanguis venæ cavæ non est calidior quàm ille aortæ, e contrà aliquando frigidior. Nemo tamen unquam minorem calorem in ventriculo sinistro reperiit quàm in ventriculo dextro. E contrà si æqua caliditas sit in utroque ventriculo, sequitur quòd calor in pulmone generetur, qui refrigerium aëris compenset. Itaque de condensatione sanguinis in pulmone à frigore aëris, dubia moveri possunt. Amplitudo verò arteriæ pulmonaris & dextri ventriculi, tum & auriculæ dextræ, potest esse receptaculum pro sanguine, ubi resistentias experitut intra pulmones. Illud demonstrant amphibia, in quibus amplæ sunt cavitates dextræ cordis & arteriæ pulmonaris, tum & observationes morbosæ obstatuorum in viâ sanguinis natorum. An in fœtu adhuc cavea dextra superat sinistram, quòd majori copiâ sanguinis ingurgitetur, ob arteriosi ductus diametrum quam non compensat foramen ovale?

CXXVIII. Licet elasticus aér sanguinem non subeat, neque frigore suo cruem addenset, non ideo nihil ab aëre accipimus per vesiculos pulmonares. In illas quippe hiant venæ bibulæ aërem non elasticum & vaporem aquosum absorbentes. Demonstrant venena & medicamenta quæ per hanc viam introducuntur. Exhalatio adhuc est manifesta, quippe in aëre frigido addensatur, & vaporem aquosum subtilem, odoratum constituit. An inde inficitur aér non renovatus, ubi respiratur, & ideo nocet quòd destruatur elasticitas; pondus enim parum immutari docet baro-

metrum in aëre non renovato qui animal occidit. Aliquid adhuc ad motum sanguinis contribuere pulmones videntur ; quippe parietes pectoris alternatim elevati & depresso variant pressionem , ut alternis vicibus prematur , urgeatur sanguis in vasis pulmonaribus contentus. Hæc sunt exigua in sanâ respiratione ; sed in anhelitu , clamore , nixu majora sunt.

**CXXIX.** Effectus respirationis in sanguinem sunt illi quos alterna relaxatio & compressio producere potest , frictio nempe , fluiditas , globulorum formatio , singulorum addensatio , rubor , calor , tandem sanguificatio ; & hi sunt effectus superiùs descripti sanguinis intra arterias & venas moti. Chilus præterea in ventriculo primo cordis effusus ibi cum sanguine miscebitur. Non credimus tamen hæc omnia esse pulmoni propria , & peculiaria , nam animalia frigida , & pullus in ovo , sanguinem rubrum , densum , fluidum & globulis compositum parant , licet quietus sit pulmo , aut nullus.

**CXXX.** Respiratio adhuc est vis accessoria quæ sanguinem ex abdominis visceribus , ubi lentiùs movetur , expedit ; infervit digestionem perficientibus organis , dum actionem ventriculi & duodeni , nec non progressum alimentorum , per alternam pressionem , faciliorem reddit : chili ascensum adjuvat , ut & expulsionem excrementorum , urinæ , fœtûs in nixu : particulas odoras ad nares attrahit ; tandem vocem constituit & loqulam.

**CXXXI.** Cur verò aliqui inter recentiores , primam causam determinantem omnium functionum diaphragma assignaverint , sedem omnium sensationum in eo reposuerint , cum eo consentire omnes nervos , huc convenire omnes telas cellulosas dixerint , cur vires phrenicas seu actionem & reactionem mutuam

diaphragmatis & viscerum abdominalium pro primo œconomiaœ animalis rectore habeant *Lacaze*, *De Bordeu*, *Robert*, &c. nondum intelligitur. Siquidem fœtus, aves & pisces, sine actione diaphragmatis vivunt; & inde non oriri nervos probat anatomia. Tamen centri hujus phrenici magnum in œconomiam animalem imperium innumera phænomena suadent, ob nervos ibi expansos.

## SECTIO QUINTA.

*De nonnullis actionibus à respiratione pendentibus.*

CXXXII. Supereft ut aliquas actiones quæ ad inspirationem vel exspirationem, vel ad consensum utriusque pertinent agamus. Ad inspirationem referuntur suspirium, oscitatio, suſtio. Ad exspirationem pertinent vox, cantus & loquela. Ad inspirationem cum exspiratione certis legibus conjunctam, anhelitus, nixus, tussis, risus, fletus, sternutatio, singultus referuntur.

CXXXIII. Suspirium est lenta & diurna inspiratio voluntaria, quâ pulmo aëre plurimo repletur, ut paretur facilitas sanguini per pulmonem lentiùs progredienti. Hinc suspirium in mœstore, in peripneumoniâ, post nixum, cursum & fatigationem. Oscitatio-  
nis est eadem ratio; tunc post longam inspirationem, adducto ore, exspiratio magna succedit. Effectus est sanguini per pulmonem aëre distentum iter aperire. Hinc in somnolentiâ, post fatigationem, in fame, in febrili frigore, in vacuo spatio, in pulmone obstructo, & aliis morbis frequens oscitatio.

Sustio adeò necessaria ac automatica animali modò nato, fit inspirando & parando spatium amplius in quo aër contentus ore rarefcat, & pressio aëris externi liquidum in eam minùs resistentem sedem impellat.

**CXXXIV.** Anhelitus procedit à sanguine difficulter per pulmonem commeante. Nixus est diuturna inspiratio, cum violentâ muscularum abdominalium vehementer exspirationem moventium contractione, & diaphragmatis pariter contracti & depresso resistentiâ, dum glottis accuratè simul clauditur: ita tota vis plurimorum muscularum thoraci aut humeris insertorum in nixu ad firmandum thoracem impenditur. Inde facile eruuntur nixûs effectus supra viscera & vasa sanguinea abdominis & capitis.

**CXXXV.** Tussis violenta, vel spontanea, est inspiratio magna, quam sequitur subita & valida exspiratione: hujus causa est stimulus quicumque in diaphragmate, in pulmone, in tracheâ arteriâ, in laringe vel in pharinge hærens. Per validam hanc exspirationem irritans propellit aut propellere nititur tussiens. Tussis effectus inde facile eruuntur.

**CXXXVI.** Sternutatio est unica, sed maxima inspiratio quam sequitur fortissima exspiratione, in quâ aër per nares solas, clauso ore, expellitur cum sonitu, & sic everritur illud acre aut molestum quod nares obsidet. Hæc aëlio cum maximis totius corporis concussionibus producitur, & inde aliquando bonos, aliquando malos effectus edit. An per sympathiam nervi quinti paris cum nervo intercostali, & ideo cum nervo phrenico, explicatur consensus ille omnium ferè muscularum corporis ad expellendum hunc stimulum ex naribus?

Emunctio fit etiam ipsâ exspiratione per nares propulsâ, ut mucus ipsas obsidens ejiciatur.

**CXXXVII.** Risus qui soli homini videtur ingenitus, ab animi affectu hilariori, à titillatione nervorum, & aliquando à morbis excitatur. Origo difficulter dici potest, sed ipsius organa nihil habent ardui.

Incipit ab inspiratione subitaneâ & profundâ interceptas multas exspirationes junctas habente , ita ut antequam plenaria exspiratio absolvatur , nova & profunda iterum incipiat inspiratio. Hinc à moderato risu circulatio sanguinis per pulmones & abdomen promovetur ; à nimio verò & soluto cachinno ita intercipitur ut subitanea mors inde orta fuerit.

Cum risu raro junguntur lacrymæ , à fletu sunt inseparabiles ; tunc vario modo contrahuntur musculi faciei , glandula lacrymalis fundit per actionem organicam , non per compressionem mechanicam , humorē proprium. Inspirationes & exspirationes interceptæ cum suspiriis junguntur : à tristitia , aliquando à gaudio cum tenero animi affectu producitur fletus.

Singultus à diaphragmate pendet quod per œsophagum irritatum convulsivè contrahitur , & subito relaxatur , sine concursu reliquorum respirationis organorum.

#### SECTIO . S E X T A .

##### *De Voce & Loquela.*

CXXXVIII. Voci primarium organum est larynx ex quinque cartilaginibus compositus. Una nempe anterior & amplior , thiroidea dicitur , utrinque reflexa , & in cornua terminata cum osse hyoideo opericlarum muscularium & ligamentosarum superius conjuncta est. Pars ipsius inferior cum cricoideâ cartilagine firmiter annexa est : hæc tanquam primus tracheæ annulus , anteriùs crassa , posterius lator firma est & quasi thyroideæ basis. Cum illo annulo committuntur in parte posteriori cartilagine arythenoideæ figuram habentes ad triangulum accendentem , rimâ ad perpendicularm positâ à se invicem diffident. Ultima tandem cartilago est epiglottis , ovalis , retrorsum cava ,

antrorsum convexa, thyroideæ cartilagini, linguæ & ossi hyoideo annexa membranaceâ expansione, suo elatere ita erigitur ut retro linguam recta surgat; ita verò inclinari potest à linguæ retrocedente dorso, ut glottidem tegat. Notanda maximè veniunt duo ligamentorum paria quæ interius à cartilaginibus arythenoideis in thyroideæ faciem posticam seu cavam extenduntur. Tendi possunt hæc ligamenta, arithenoideis cartilaginibus deorsum ductis, aut ascendentे larynge & cartilagine thyroideâ antrorsum tractâ. Rimam apertam inter se habent ligamenta superiora. Ea rima est vera glottis, præcipuum vocis organum: diversimodè arctari & dilatari potest, elevato aut depresso larynge, & per diversos cartilaginum motus. Inter ligamentum superius & inferius utriusque lateris, est depresso quædam magis aut minus profunda, quæ ventriculi aut sinûs laryngis nomine donatur.

**CXXXIX.** Quinque istæ cartilagines variis ligamentis & musculis ita inter se junguntur, ut mobilitatem & rimæ summam mutabilitatem producere possint præcipuè cartilagines arythenoideæ. Musculi verò illi alii sunt communes, alii proprii. Illi totum laryngem movent, ita Sternothyroidei, Hyothyroidei; sunt & alii qui laryngi non annexi, illum movent: ita Geniohioidei, Genioglossi, Styloglossi, Stylohyoidei, Stylopharingei, Sternohyoidei, Coracohyoidei, ubi seorsim vel simul agunt. Proprii sunt qui solis laryngis cartilaginibus connectuntur. Hi sunt 1.<sup>o</sup> Cricothyroidei laterales & postici, seu dilatatores anteriores *Anat. hist. & prat. par M. Lieutaud. Ed. de M. Portal. tom. 2. p. 117.* 2.<sup>o</sup> Cricoarytenoidei postici & laterales, seu dilatatores posteriores. 3.<sup>o</sup> Thryoaritrenoidei, vel constrictores majores. 4.<sup>o</sup> Arithenoidei obliqui, vel parvi constrictores. Tandem & Arithenoideus transversus

impar. Diversimodè agentibus omnibus his musculis, elevatur vel deprimitur larynx, glottis dilatatur vel angustatur, tenduntur vel relaxantur ligamenta, ad se accedunt vel recedunt, ut inde admodum variabilis sit glottidis diameter.

**CXL.** Omnis interna cavitas laryngis mucosâ molli membranâ obducitur, quæ cum tracheæ arteriæ tunicâ internâ continuatur: plurimis glandulis tenuioribus etiam ornatur. Cartilaginibus arithenoideis infidet glandula minor mucifera. Multi in omni internâ superficie laryngis observantur pori mucum fundentes. Notanda adhuc venit thyroidea glandula ampla, cartilagini thyroideæ, cricoideæ, asperæ arteriæ anteriùs infidens, serosum flavescentem humorem exprimit compressa. An eum in asperam arteriam mittit? An in œsophagum? Neutri ductus satis certò innotuerunt: An omnino succum retinet, & in venas refundit uti thymus? An est de genere conglobatarum? Non ignobile esse hujus officium demonstrat insignis magnitudo arteriarum quas ex carotidibus & subclaviis. habet. Venæ ad jugulares & subclavias redeunt.

**CXLI.** Sanguinem ad laryngem afferunt arteria thyroidea superior & inferior. Prima ex arteriâ carotide sui lateris, secunda à subclaviâ provenit. Venæ verò tum ad jugulares, tum ad venam cavam veniunt. Nervi arteriarum sunt sodales, & unus est superior, alter inferior; uterque ex pari octavo procedit. Superior laryngeus varios ramos ad omnes partes laryngis distribuit, & cum intercostali anastomoses instituere videtur. Notabilior verò est nervus recurrens quem celebrem reddidit ortus, reflexio circa arteriam aortam & subclaviam dextram, origo quam præstat nonnullis nervis cordis; magis verò experimenta jam à Galeno instituta, per quæ constat hoc nervo ligato vocem tolli.

CXLII. Ut organa descripta vocem producant, requiritur ut aér per rimam modò dictam certâ copiâ & velocitate exeat. De hoc omnes consentiunt, non ita de modo quo vibrationes sonoræ aëris excitantur. Glottidem viam aëris contrahere vel dilatare dicebant veteres : *Dodartius* verò experimentis & ratiocinio fretus, unicè in arctatione & dilatatione glottidis reponens, in nato inde celeriori aut lentiori aëris torrente, & vibrationum in ligamentis glottidis varietate totam sonorum diversitatem deduxit *Mem. de l' Acad.* 1700. Inde in ascensu laryngis, glottis arcta vocem acutam facit, in descensu dilatata, gravem reddit, suam sententiam confirmabat & hominum & animalium exemplo, in quibus quò brevior fissura eò acutior sonus ; vicissim gravior cum latiori rimâ, ita & in sibilantibus varietates in rima lineæ unius ad 9632 æstimat, ut tonorum varietatis rationem reddat. Addit tandem variam celeritatem aëris etiam ad varietatem sonorum contribuere ; sed diametrum variam glottidis pro primariâ causâ varietatis sonorum semper accipit, licet tensiones ligamentorum cum variatâ latitudine glottidis dein conjunxerit *Mém. de l' Acad.* 1707. Justam & æquam vocem facit, si ipsi credamus, æqualis ligamentorum tensio.

CXLIII. Ultra progressus Clariss *Ferrein* variam tensionem ligamentorum glottidis pro solâ varietatis causâ tonorum accepit, varietatem diametri rejiciens quæ tantum in vim soni agit, tonum non mutat : si igitur ipsi fides sit, ligamenta glottidis sunt chordæ fidium quas aér tremefacit, & varia tensio causa variati toni est, propter varium vibrationum numerum in dato tempore. Experimentis hanc probavit sententiam author, aërem in bronchum insufflando, ab arctitate glottidis tonus minimè mutabatur, vis soni tantum mutabatur.

mutabatur. Dete&ltis ligamentis, ipsorum vibrationes percepit, soni acutiores erant cum celerioribus oscillationibus, compressis iisdem, vibrationes suffocabantur, sonus peribat. Suppressâ dimidiâ parte ligamenti, ad octavam intendebatur sonus, ad quintam si tertia pars diminuta fuerit, si inæquales portiones fecerit, inæqualiter etiam super priorem tonum ascendebat. Si unius ligamenti medium partem liberam dimiserit, alterum verò totum, tunc simphonia fiebat duorum tonorum qui octavâ distabant. Ligamenta separata eosdem tonos reddebat. In ipso larynge hominis aut bestiæ, varios sonos edidit, diversimodè tendendo ligamenta, licet arctior sit glottis vel latior. Duæ vel tres lineaæ ad variationem omnium tonorum vocis sufficiunt quam producunt thyroideæ & arithenoidearum cartilaginum motus. Hunc motum in homine percipi dixerunt, & tandem machinulam ligneam glottidi similem excogitarunt *Mém. de l' Acad. 1740.*

CXLIV. Varia contra hanc sententiam objecerunt Dodartianæ sententiæ fautores. Non dantur vires sufficentes ad tendenda hæc ligamenta. Tensionem ligamentorum glottidis ita variabilem negarunt, ex thyroideæ immobilitate, & ubi tenduntur ligamenta, glottis arctatur, unde variatio soni. Addiderunt ligamenta glottidis non ita libera esse, ut tremere possint & vibrare. Avium exempla attulerunt in quibus cartilagine pro chordis sunt, tum & glottides plumbeas, cereas, cartaceas in quibus ita soni obtinentur. Addunt adhuc ligamenta nimis brevia non posse tantas varietates producere, & experimentorum Ferrenianorum succeſsum negarunt. Tandem sibili exemplum afferunt, in quo non dantur chordæ elasticæ. A latiori glottide sonus fit gravior in viris, & inde sola mutabilitas rimæ glottidis tonos variat.

**CXLV.** Ut nostram sententiam circa hanc quæstionem exponamus, credimus chordarum oscillationes, & tibiarum modulos ad formationem vocis conferre, seu hunc sonum ad tibias & fidicines referri debere, ita ut tendantur chordæ ubi constringitur rima glottidis, & relaxentur, ubi dilatatur glottis & deprimitur larynx. Non rejicimus ergo causas mechanicas, sed præterea ibi admittendam credimus actionem organicam vivam ad vocis formationem necessariam, quâ disponuntur instrumenta ad aëri oscillationes varias sonoras inducendas. In ventriculis laryngis retinetur aër, & reflexus modulatur diversimodè, sonus intenditur, in cavitatibus narium & oris reflectitur. Plures itaque causæ conjunctæ concurrunt ad inducendam varietatem tonorum & sonorum. Organorum vocalium actionem organicam demonstrat vox eunuchorum, & mutatio quæ in pubertate virili evenit.

**CXLVI.** Cantus fit quando vox cum variis modulationibus expellitur, quæ gratè aurem afficiunt, si ligamenta laryngis æqualiter tensa, æqua vis musculorum utriusque lateris, cartilagines laryngis utrinque æquales, si ventriculi benè resonent, ut unum latus cum altero harmonicè consentiat. Quare eunuchis & fœminis vox acuta & mobilis? Cur in tempore pubertatis gravior fit vox?

**CXLVII.** Loquela fit larynge quiescente, tonis acutie & gravitate parum diversis, sed voce per organa oris variè mutatâ. Omnis loquela refertur ad pronunciationem litterarum quæ variis gentibus variæ, in plœrisque tamen convenienter. Aliæ sunt vocales quæ fiunt voce unicè per os expressâ, absque linguæ allisione ad ullam partem oris, tamen hujus cavitatis formâ mutatâ; numero sunt octo a, e, ei, vel ai, i eu o u ou. Consonantes verò, vel surdæ fiunt ab

allisione partium variarum oris, & inde in labiales, linguaes, dentales dividuntur. Una est gutturalis. His diversimode junctis fiunt syllabæ ac verba, inde loquela quæ homini propria, ipsum supra animalia per naturam elevari admodum docet. In attentâ motuum laryngis, linguæ, dentium, labiorum consideratione consistit ars quam docuit *Ammanus*, ad surdos naturâ docendos modum imitandi loquelandam. Ex dictis etiam intelligitur quomodo sine linguâ aliqui potuerint imitari loquelandam. Ars ventriloquorum consistit in motu uvulæ, fundi oris & epiglottidis quo soni modificantur sine labiis, dentibus, palato; sonum quasi è longinquo vel profundo editum reddit clausio oris & resonantia intra laryngem & cavitates narium. *Vid. Le ventriloque par M. de Lachapelle 1772.*

## C A P U T . VI.

*De actione cerebri & nervorum.*

CXLVIII. PRIMARIA inter omnes functiones, est ipsa cerebri & nervorum. Hanc ut accuratè disquiramus, structuram omnium partium cerebro famulantium ex anatomia repetemus, phænomena per experimenta indagabimus, tandem modum quo suas functiones exercent cerebrum & nervi, assequi tentabimus. Non nisi his prælibatis, de motu musculari, uti & de sensibus internis tum externis agere permittet rerum ordo.



## SECTIO PRIMA.

*Quid circa cerebrum & nervos doceat anatome.*

**CXLIX.** Calva cerebrum continens, ex octo ossibus firmiter junctis formata, magnam cavitatem oblongam constituit. Ipsius faciei internæ undique adhæret membrana firmissima, ex duabus laminis distinctis composita, dura mater dicitur. Vasa & nervos per varia foramina cranii exeuntes ambit, ita ut pro ipsius prolongatione habeantur nervorum involucra. Interna lamina duos processus constituit, quorum unus longitudinalis duos lobos cerebri separat, & falx dicitur; alter transversus lobos posteriores sustinet, & tentorium cerebelli nominatur. His processibus præcaventur cerebri compressiones. An sensibilis sit dura mater hic non inquirimus; sed immobilem omnino in crano integro demonstrat anatome. Alterum involucrum cerebri dupli laminâ conflatur: exterior arachnoidea cerebro circumponitur pellucens: lamina interior verò, seu pia mater cerebri superficiem omnem undique obvestit; tenera est & vasculosissima, substantiæ corticali semper adhærens, in fulcos cerebri & cerebelli se insinuat. Suprà has tunicas reptant & dividuntur vasa sanguinea.

**CL.** Sanguinem afferunt ad caput plures arteriæ. Duræ matri prospiciunt. 1.º Arteria sphenospinosa à maxillari externâ proveniens, tum & aliæ ramifications à carotide externâ per foramina mastoidea, parietalia & orbitaria interna transentes: carotis verò interna canalem proprium ossis petrosi subit, & triplicem flexionem agens, varios ramulos distribuit, dein sub processibus clinoides ex duræ matris involucro, & ex sinu cavernoso emergit, arteriam oph-

talmicam ad oculum mittit, unde sub lobo anteriori progrediens, in duos ramos dividitur, quorum unus anterior cum simili alterius lateris conjungitur, & ramos ad partes anteriores cerebri mittit; alter posterior cum arteriâ basilari communicans, ad partes medias & posteriores cerebri distribuitur. Hæ ramifications omnes inter piæ matrem & arachnoideam repentes maximè dividuntur, priusquam substantiam corticalem ingrediantur.

**C L I.** Ad encephalum veniunt adhuc arteriæ vertebræ quæ ex subclaviis orientes, per foramina processuum transversorum vertebrarum colli ascendunt, ramos minores ad musculos cervicis, & ad medullam spinalem mittunt, dein post flexiones foramen occipitale intrant, & progredientes, in arteriam basilarem coalescunt quæ ramos ad medullam oblongatam, crura cerebri & ad cerebellum mittit. Ex vertebralibus adhuc nascuntur spinæ quæ in magno vertebrarum canali descendentes, plurimas anastomoses cum vertebralibus colli, cum basilaribus alunt, & medullæ spinali prospiciunt. Dictæ arteriæ magnam copiam sanguinis ad cerebrum ducunt; spirituosis particulis supra reliquum scatere dicunt aliqui. An rectè? Maximam verò utilitatem habent frequentes anastomoses truncorum & ramorum; inde enim expeditum est iter, & minuitur obstructionis periculum, uti docent experimenta & observationes practicæ. Flexionum arteriæ carotidis & vertebralis utilitas videtur ad moderandum impetum sanguinis.

**C L I I.** Venæ sanguinem è cerebro reducentes, valvulis destitutæ, ex diversis partibus cerebri & cerebelli sanguinem suum deponunt in cavitates quasdam inter laminas duræ matris singulari artificio exstructas, quæ sinus dicuntur. Unus est longitudinalis falcis oram

superiorem sequens, in sinus transversos se exonerat; illi ad fossam venæ jugularis tendunt, & dexter ferè semper amplior est sinistro; alter falcis oram inferiorem sequitur. Alii sunt petrofi, occipitales, cavernosi, circulares, qui omnes in sinus laterales veniunt. Aliqua adhuc portio per venas vertebrales regreditur. Plures anastomoses cum venis quæ partes exteriores capitis irrorant, habent illæ venæ interiores, unde liberor fit sanguinis regressus. Sinuum utilitas videtur, ut sanguinis majori vel minori affluxu, non interrumptatur circulationis æqualitas; tamen nimiaæ distensioni resistunt trabeculæ ab uno pariete ad alterum protensa. Motum aliquem alternum elevationis & depressionis, in vasis venosis præcipuè notandum, exhibet cerebrum cranio denudatum: quippe in inspiratione detumescit, subsidet, mole minuitur, in exspiratione intumescit. Vim contractilem duræ matris allegant recentiores aliqui, sed à refluxu sanguinis retenti per exspirationem, & in inspirationis initio facilis transiunt, pendere demonstrarunt experimenta. An nervos habet dura mater & insensibilis dici potest?

**CLIII.** Dictis involucris continetur cerebrum amplissimi voluminis, sub quo sedet cerebellum tentorio suo tectum, & utriusque substantia medullaris in medullam oblongatam continuatur. Figuram ellipticam exhibens cerebrum, in duo hemisferia dividitur, & utrumque tres lobos habet. In superficie externâ, gyri notantur plurimi, qui alternis rotundis angulis cerebrum in undulatos lobulos dividunt. In eorum superficie cortex cinereus est: interiora occupat medulla ferè alba, quæ ex corticali ubique nascitur. Hujus corticis fabrica diu in controversiâ fuit. Glandulas posuerat *Malpighius*; nunc verò constat per anatomicas injectiones maximam partem ex vasculis tenuissimis conf-

tare, quæ à piæ matris ramulis ubique dimittuntur. Reliqua pars, quam nulla injectio replet, nihil dissimile habere videtur ab illâ quæ vasculosa est.

**CLIV.** Substantiæ corticali continua est medullaris, quæ in medio collecta centrum ovale efformat: ibi uniuntur duo hemispheria cerebri, & corpus callosum constituunt striis transversis notatum, cum duabus lineis longitudinalibus parallelis ad commissuram anteriem terminatis, posterius divisis. Corporis callosi anterior finis cum crurum cerebri parte à lobis cerebri anterioribus veniente confunditur: posterior latior cum pedibus hypocampi continuatur. Centro ovali subjiciuntur quatuor cavitates, ventriculi dicti, duo superiores vel laterales, valde extensi, figuram arcuatam intus convexam, extus concavam referunt. Hos ventriculos separat septum lucidum dupli laminâ compositum; ab inferiori parte corporis callosi descendens fornici incumbit & tres columnas habet, unam anteriorem, crassiorem, ex duobus funiculis compositam: duæ sunt posteriores, tenuiores, cavitatem ventriculorum insequuntur, & corpus fimbriatum efformant. Fornice resecto & retrorsum depulso, notantur in ipsius facie inferiori lineæ quæ corpus psalloides dicuntur, ibi est plexus choroides qui ex membranâ ventriculos vestiente, cum vasculis sanguineis venosis & granulis quibusdam glandulosis intertextâ conflatur; venæ ad sinum rectum tendunt.

**CLV.** Plures eminentias offerunt ventriculi dicti. Anterior occurunt corpora striata. Posterior illis adhærent thalami nervorum opticorum. Ex substantiâ corticali & medullari efformantur illæ quatuor eminentiæ: retrò thalamos nervorum opticorum occurunt tubercula quadrigemella, quibus insidet glandula pinealis, plexu choroideo involuta, & cum funiculo medul-

lari transverso continuata. In parte posteriori & curvâ ventriculorum, notantur duo funiculi medullares curvi qui pedes hypocampi dicuntur, vel *cornes d'Ammon*. Ventriculis dictis posterius continuatur alia cavitas, in quâ protuberantia alia est, quæ *ergot* dicitur. Inter thalamos fissura naturalis, pro tertio ventriculo accipitur. Hujus apertura anterior vulva nominatur, cui insidet notandus funiculus albus transversus, commissura anterior cerebri dictus; posterior anus funiculo simili terminatur, qui commissura posterior dicitur; & uterque fibras transversas habet. Hæc apertura ad aquæ ductum sylvii dicit, qui ipse ad quartum ventriculum finitur. Tertius ventriculus inferius cæcus, terminatur per productionem quandam *tige pituitaire* dictam, & ad glandulam pituitariam tendit, quæ spons-giosa est. Infra tubercula quadrigemella positus est ventriculus quartus.

**CLVI.** Cerebro substernitur cerebellum, in duos lobos divisum, quorum unio eminentiâ vermiciformi notatur. Suo tentorio tegitur, piâ matre involvitur quæ substantiæ corticali in sulcis profundis & parallelis quibus notatur adhæret. In centro parcam medullam habent, quæ in crura cerebelli continuatur, & cum medullâ cerebri confunditur. Utraque ad medullam oblongatam confluit, in unione protuberantiam annulariem vel pontem varolii efformant fulco notatum, pro trunco arteriæ basilaris. Protuberantias mamillares anterius gerit, posterius verò duas eminentias pyramidales & duas olivares dictas. Duobus sulcis ibi notatur medulla oblongata in quibus intertextus, *l'entre-lacement croisé*, fibrarum observatur facilius. In unione medullæ oblongatae & cerebelli formatur quartus ventriculus, cuius cavitas calamus scriptorius dicitur. Cum medullâ oblongata continuatur medulla spinalis, quæ

in canale vertebrali inclusa, durâ & piâ matre tecta; substantiam corticalem intùs, medullarem extùs gerit; ad vertebrae lumbares in caudam equinam terminatur.

**CLVII.** Ex medullâ tum oblongatâ, tum spinali oriuntur funiculi fibrosi qui ad omnes partes corporis per innumeratas divisiones sese deferunt. Nervi dicuntur, qui nihil aliud sunt nisi medullæ fasciculi piâ matre ita involuti, ut quilibet minimus funiculus eâ ambiantur; plures vel pauciores tales fasciculos tela cellulosa unit, per quam arteriolæ & venæ decurrent. Hos fasciculos cingit membrana robustior, quæ pro continuatione duræ matris pluribus accipitur, sed reverâ ex textu celuloso conficitur.

**CLVIII.** Decem paria nervorum ex medullâ oblongatâ oriuntur, & ex ipsâ calvâ exeunt. Ab intervallo loborum anteriorum cerebri & à medullâ lobi anterioris oritur primum par, seu olfactorm. Optimum magnâ ex parte ex thalamis, sed aliquâ etiam à cerebri medullâ, prope eminentias mammillares. Tertium par à cruribus medullæ cerebri retro corpora mammillaria. Quartum à latere processuum cerebelli. Quintum à pedunculis cerebelli. Sextum à parte posteriori protuberantiae annularis. Septimum pro parte suâ molliori ex medullâ oblongata, pro parte suâ duriori à cruribus cerebelli prope pontem. Octavum ab intervallo corporum olivarum & pyramidalium. Nonum ab olivaribus corporibus. Decimum ex extremitate medullæ oblongatae, vel initio spinalis nascitur. Similes ex medullâ spinali producuntur funiculi, sed eâ ratione ut duabus planis conficiantur, quorum unum ex parte anteriori, aliud ex parte posteriori medullæ spinalis proveniat. Hæc duo plana simul unita in nervos coalescent qui inter duas quasque vertebraes, vel per foramina ossis sacri exeunt. Numero sunt triginta ex utrâ-

que parte. Præter hos nervos, aliis intercostalis dictus, primam originem tenuem à sexto pari habet, vel ibi terminatur, ramulum à maxillari superiori quinti paris accipiens. Mox cum carotide exiens, ganglia multiplicia in toto tractu columnæ vertebralis ad ipsius latera decurrens constituit, anastomoses frequentissimas cum omnibus ferè nervis alit, visceribus pectoris & abdominis cum octavo pari prospiciens, sympathetici majoris nomen habet. Horum nervorum divisiones & distributiones doceat anatomia.

**CLIX.** Omnes nervi progrediendo, in ramos & ramulos semper tenuiores multiplici & indefinitâ serie dividuntur. Conflantur ex continuatione substantiæ medullosoæ cerebri & medullæ oblongatæ. Propriis involucris semper retinentur quæ partibus vicinis operatæ cellulosi adnectuntur, nisi ubi ad extremum sumum finem papillas sensiles perficiunt, tunc enim involucra deponunt, & in pulpam mollem terminantur. Si verò hujus substantiæ medullosoæ cerebri & nervorum structuram intimius rimemur, vix aliquid certi docent experimenta: nullam enim cavitatem, vel structuram vasculosam in medullâ nervorum unquam demonstrarunt injectiones, nec microscopia, licet compositio fibrosa in pluribus locis evidenter appareat. In ganglia frequenter intumescunt, præcipue nervi medullæ spinalis, ubi plures rami uniuntur vel secedunt: involucrum gangliorum musculosum credebat *Lancifius*; funiculi nervi ibi textu cellulofo & vasculis intertexti laxius disponuntur, intricantur, miseri aliqui credunt. Anastomoses verò frequentissimæ sunt non solum in gangliis, sed in distributione nervorum, nisi fibras nerveas rectâ procedere à principio ad finem, sine ullâ communicatione ac in cerebro aut medullâ spinali, admittamus.

## SECTIO SECUNDA.

*De functionibus cerebri & nervorum.*

**CLX.** Dicta huc usque de cerebro & nervis docet anatome ; nunc cuinam functioni obeundæ destinentur docent experimenta. Nervus omnis irritatus à causâ quâcumque sensum doloris acerrimum producit qui iter nervi sequitur. Si causa violentior fuerit, continuò ii quos nervus adit musculi convulsivo motu agitantur nullâ voluntate coercibili. Dissecto , compresso , aut ligato nervo , musculi quos adit paralytici resolvuntur ; si nervus sectus peculiari sensui fuerit præfectus , perit is sensus. Soluto & liberato nervo illo , sensus & motus redit. Si irritetur cerebri medulla vel spinalis , latè per omne corpus diræ convulsiones regnant. Encephalo ipso compresso , ubicumque id fit , pars aliqua corporis motu & sensu privatur , quæ est ea quæ nervos habet à parte compressâ . Læsâ medullâ spinali , convellitur ea pars quæ nervos inde recipit , si lædatur in collo , continuò mors sequitur. Majori tandem aliquâ parte cerebri læsâ , vel compressâ à sanguine , schirro aut aliâ causâ , sequitur perpetuum in animæ operationibus vitium seu delirium , vertigo , mania , stupor , aut immedicabilis sopor. Hæc symptomata abeunt vulgò , remotâ causâ comprimente.

**CLXI.** Non videtur his positis dubium esse , quin omnis motûs & sensûs in corpore humano causa oriatur à cerebro & connexis cum eo cerebello & medullâ spinali , indeque per nervos ad omnes partes corporis perveniat. Mobilitate donantur soli musculi. An verò omnes partes corporis sensibiles sint , valdè disputant recentiores ; & plurimi ossa , tendines , ligamenta , capsulas , textum cellulosum , membranas ,

periosteum nullâ sensibilitate donari, experimentis suffulti afferunt. Alii negant, experimenta & observationes objiciunt. Hæc dubia solventur, si statum sanguinum à morbo distinguiamus; quippe partes in statu sano ferè insensibiles sensibiliissimas fieri in statu morbo docet praxis: prætereà suam sensibilitatem propriam cuicunque parti concedere multa jubent.

**CLXII.** Admittendum igitur sensus & motus organa esse nervos cum cerebro, medullâ oblongatâ & spinali communicantes, seu in se continere causam sensibilitatis & mobilitatis quæ ex cerebro, cerebello, medullâ oblongatâ & medullâ spinali per illos procedit. Objiciunt nonnulli fœtus acephalos, animalia post cerebrum ablatum viventia, varios morbos in quibus tota cerebri substantia in aquam aut pus contabuit, cerebra tandem quæ schirrosa & lapidea inventa fuerunt, vigente motu & sensu: sed hæc tantum demonstrant sibi supplere posse varias partes encephali.

### S E C T I O   T E R T I A.

*De modo quo cerebrum & nervi suas functiones exercent.*

**CLXIII.** Ratio quâ nervi sensum & motum exercent nunc explicanda venit. Certè per ipsorum tunicas non perfertur sensus, cum ferè insensibles sint, & irritatæ, convulsiones non producant. Prætereà nervos in finibus suis derelinquunt. Restat ergo ut medulla sit sensus & motus organum. Hanc fibrosam in multis locis apparere diximus. Quænam verò est natura hujus fibræ? Solidam aliqui dicunt, & funiculos nerveos cum chordis elasticis comparant, quæ in uno fine percussæ vibrarent, & suas oscillationes ad alterum finem amandarent, uti in musicis chordis

res est notissima : sed hanc sententiam multa refellunt. Omnes nervi in origine suâ medullares sunt , mollissimi & ab omni tensione remotissimi , aliquando & in decursu , semper in finibus ubi mollescunt omnino. Oscillationes suppositas non sisteret ligatura. Prætereà gangliis frequentissimis interrumpuntur nervi , in quibus sisterentur vel confunderentur vibrationes ; magna parte sui itineris partibus vicinis sunt revincti , & continuo madidi , nihil elasticci habent. Addendum est functiones nervorum non respondere chordis elasticis , cum oscillationes ipsarum ex utrâque parte æqualiter deferantur , sensus verò tantum à parte irritatâ ad cerebrum producatur. Irritato trunco nerveo qui ad plures musculos tendit , ii omnes convellentur , irritato ramo aliquo , convulsio tantum in musculo , cuius nervus irritatur eveniet. Ergo solida nervorum fabrica tremens & oscillans phænomenis non congruit.

CLXIV. Cum solida nervorum fabrica nihil explicet , quâ ergo ratione fabrefacta est nervorum tex- tura , ut sensum & motum exerceant ? Arterias ultimas corticis cerebri in medullam continuari , & ex arteriis corticis separari in cavas illas medullæ fistulas liquidum aliquod quod in nervosos tubulos continua- tum , sit sensûs & motûs vehiculum multa suadent . 1.º Origo ex fibris corticalibus quas certè vasculosas docet inspectio . 2.º Magna quantitas sanguinis huc allati . 3.º Corticis dispositio in cerebro & medullâ spinali ; sed ex tardo sanguinis motu , ex tenuitate va- forum corticalium & medulloforum judicamus lentè moveri hunc liquorem. Ipsius verò naturam omnino latere fateamur , neque conjecturâ possumus asse- qui. Aliquid docere videtur tenuitas spirituum vege- tabilium & effluviorum animalium , luminis , electricæ materiæ , magna vis odorum in nervos. Aqueos verò

esse, albuminosos, spirituosos, aëreos, electricos hos spiritus nerveos negamus, licet finxerint nonnulli.

**CLXV.** His spiritibus in cerebro secretis lentè motis imbuitur substantia medullaris nervorum, & ad omnes partes corporis disperguntur. Inde ad suas functiones peragendas apta fiunt organa sensoria & motoria; sed perit hæc aptitudo, si cesset communicatio cum cerebro vel origine nervi, licet & aliquando post separationem possit perdurare, uti docuerunt aliquæ observationes, præsertim in aliquibus animalibus quæ copiosiori spiritu vel tenaciori imbuta sunt. Refluus verò motus quem plures ab organis ad cerebrum admittunt pro explicando sensu, & impetus quem supponunt pro explicando motu, vix potest intelligi.

**CLXVI.** Quonàm nunc abit liquor nervosus, qui magnâ copiâ generari videtur? Exhalare aliquam partem per nervos cutaneos est probabile; forsitan & liquoribus inquilinis miscetur & circulationi redditur in vasculis tenuissimis; nutritioni inservire dixerunt aliqui; alii venas spirituosas in nervo supponunt, quæ massam superfluam ad cerebrum iterum mittunt. An hoc tenuissimo fluido imbuitur textus nervorum?

**CLXVII.** Diversos esse spiritus sensorios & motorios, vel diversos nervos utriusque functioni præesse aliqui arguunt ex observationibus in quibus sensilitas absque mobilitate superfuit, & vicissim; sed has duorum generum fistulas non docet anatome, & vix de illâ pronuntiare possumus.

Aliqui majorem copiam spirituum pro motu quàm pro sensu necessariam æstiment: alii vitia tegumentorum, ubi deficit solus sensus, accusant. Multa tamen morborum phænomena, distinctas in cerebro provincias distinctis functionibus præesse, docere vi-

dentur : ita deliria , oblivious . An diversi sunt spiritus animales & vitales ? An cerebellum nervos cordis & alios functionibus vitalibus inservientes producit , cerebrum verò nervos sensuum , & motus voluntarii organa adeuntes ? Elegans systema quod refutat anatome . A cerebello nervus quinti paris evidentissimè nascitur , & ad musculos voluntati obedientes distribuitur . Nervus octavi paris dat aliquos ramos cordi , pulmoni , laryngi , ventriculo ; ita & nervus intercostalis Denique vulnera & schirros cerebelli absque lethalitate demonstrarunt observationes & experimenta .

**CLXVIII.** An princeps aliqua in cerebro sedes admitti debet , in quâ omnium motuum origo & omnium sensationum finis sit quam pro sede animæ assignandâ inquirunt ? Hanc prærogativam alii calloso corpori , alii medullæ oblongatae vel spinali concedunt , in glandulâ pineali reponebat *Cartesius* . Sunt tamen experimenta & observationes quibus constat quòd , cum harum partium vulneribus & destruccióne , vixerint animalia vel fœtus . Hinc potiùs videtur esse sedes principii sentientis & moventis , quodcumque sit , ubi est initium alicujus nervi , ita ut omnium nervorum junctæ primæ origines efficiant verum sensorium commune . Sed frustrà sedem animæ ad aliquem locum singularem determinare tentamus : videmus tantùm , medullam cerebri in nervos continuatam , sensùs & motùs causam deferre , & hanc causam voluntati obediare , modum ignoramus .

**CLXIX.** Assignanda nunc esset causa tot diver- sarum eminentiarum in cerebro , quis finis ventricu- lorum , eminentiarum , distinctionis cerebri à cerebello , tot funiculorum communicantium ab unâ parte cere- bri vel medullæ ad aliam . Sed ipsorum utilitates non-

dùm demonstrarunt observationes, neque experimenta; Exiguam spem dat difficultas ea experimenta instituendi, & substantiæ medullaris tenera compositio. Gyrorum in substantiâ corticali notatorum finis videtur augere copiam corticis & piæ matris superficiem extendere; inde augetur numerus vasorum quæ corticem constituunt, & simul numerus fibrarum medullarium. Hinc in animalibus stupidis exigua capita, neque adfunt tales gyri.

**CLXX.** Fibras medullares frequentissimè inter se communicare observamus, à dextris ad sinistra sæpius propagari; ita videtur natura obtinuisse ut, quâcumque parte cerebri lœsâ, non ideo perpetuò nervus inde ortus inutilis reddatur, ordinem verò quem inter se servant felix qui poterit extricare? Ganglionum utilitates assignavit *Lancisius*, ut spiritum nerveum mittant; alii ibi seponere aliquid arterias suspicati sunt; alii ad communicationem nervorum esse dicunt; alii pro retinendis nervis inservire credunt. Vix aliquid certi circâ illud problema habemus; sed nihil musculosi certè est in gangliis; ex filis medullosois cum textu cellulofo intricatis & contentis fabricantur. Potius aliquid addunt secretioni & compositioni spirituum animalium, quasi cerebra minora.

## C A P U T VII.

### *De motu musculari,*

**CLXXI.** NERVOS diximus esse organa sensûs & motûs. Motum qui simplicior sit præmittemus, & in hoc ita versabimur, ut fabricam musculi repetamus ex anatomicis,

anatomicis, proprietates fibræ muscularis dein inquiramus, phænomena in motu musculari observata perpendamus; ad mechanismum tandem hujus motū accedamus, quantum ex rei obscuritate licebit.

## S E C T I O P R I M A.

*De fabricā musculari.*

CLXXII. Musculi sunt fibrarum rubrarum fasciculi, ope textū cellulofisi coalescentes. Illæ fibræ longæ, graciles, ferè semper parallelæ, in lacertulos colliguntur. Isti laxiori cellulosâ telâ, plerumque adiposâ, revincti in maiores fasciculos coeunt quos semper striæ cellulofise & septa membranacea dividunt, donec plurimi lacerti membranâ cellulosâ circumdati & à vicinis separati, pro uno musculo habeantur. Fibram ipsam ultimam visibilem ex unione plurimarum tenuiorum fibrarum adhuc coalescere docet microscopium.

CLXXIII. Plerisque musculis, maximè verò omnibus qui ad ossa inseruntur, fibrarum non unum genus est. Carneæ nempe fibræ in medio musculo collectæ crassitatem efficiunt quam vocamus ventrem; eadem in utroque fine musculi vulgo degenerant sensim, gracilescunt & durescunt, deposito rubore splendorem argenteum induunt, strictiori cellulosâ telâ colliguntur, paucioribus vasculis pinguntur. Tendinis nomen accipiunt, si collectæ fuerint in angustiorem, teretem fasciculum. Aponevroses verò dicuntur, si in amplam & planam superficiem extendantur.

CLXXIV. An omnino fibræ carneæ ex tendineis oriuntur, an ipsis adhærent? vel an eadem fibra ex unâ parte est carnea, ex alterâ verò tendinea? De hac re difficulter definire possumus. Sunt experimenta quæ naturam fibræ tendineæ ab illâ muscu-

losæ diversam demonstrant. Carneas tamen fibras in tendineas mutari docet comparatio fœtūs, cui paucissimi tendines, per ætatem augentur. Musculi nulli ossi innati plerumque tendines non habent, uti cor, sphincteres, musculosæ membranæ viscerum. Hinc ex textu qui cum periosteo est continuus conflari tendines aliqui afferunt.

**CLXXV.** In cellulosâ tunicâ fibris muscularibus circumpositâ dividuntur arteriæ & venæ, retia constituunt; inde vapor, adeps in cellulosam telam effundunt & resorbentur. Lymphatica vasa in nonnullis musculis aliqui viderunt. Nervi copiosi cum vasis per cellulosam telam distribuuntur, dein deposito duriori involucro moliores facti evanescunt. In tendinibus vix demonstrantur, neque ullæ sunt fibræ nerveæ quæ lacertos transversaliter ambiant.

**CLXXVI.** Fabrica fibræ minimæ elementaris, musculosæ in homine & animalibus microscopio investigata semper similis fuit majorum fibrarum fabricæ, & præter minima fila per textum cellulosum inter se conjuncta, in quo adeps majori vel minori copiâ congeritur, nihil certâ fide apparuit. Vesiculosam tamen aliqui dixerunt, cellulosam finxerunt alii, varias figuræ supposuerunt nonnulli, sed timidiùs de re ultrâ aciem omnium sensuum positâ pronunciare debent physiologi. An cavæ fibræ sunt & continuæ arteriis? Repugnat tenuitas fibræ & color. An inde diversitas carnearum à tendineis, quod istæ elisæ, compressæ, expulso fluido solidæ factæ sint? Hanc hypothesim plurimæ rationes physiologicæ & inspectio omnino refutant.



## S E C T I O . S E C U N D A .

*De proprietatibus fibræ musculosæ.*

**CLXXVII.** Licet in compositione elementari fibræ musculosæ dubii hæreamus, proprietas quædam ipsi innata & essentialis per experimenta patescit, irritabilitas nempe, quâ fit ut ad præsentiam stimuli se contrahat, palpitet, alternè agat & remittatur, non tantum in vivente, sed in modò mortuo animali; à tendinibus, membranis, ligamentis & celluloso textu omnino abest, imprimis verò cordi, intestinis & dia-phragmati maxima insidet irritabilitas, ut diutiùs à morte naturam irritabilem conservent, vehementiorem exerceant & facilius fuscitari possint.

Unde pendeat irritabilitas non inquiremus, sufficiat si à sensibilitate differre assuerimus; siquidem partes maximè irritabiles ferè non sentiunt, uti cor; partes verò sensilissimæ non sunt irritabiles, uti nervi. Præterea deperditâ sensibilitate, remanet adhuc irritabilitas in corde & intestinis ab animali quidem separatis. Hanc igitur proprietatem fibræ musculari insitam, & naturalem agnoscimus, causam non inquirimus.

Præter irritabilitatem, fibra muscosa viva vim habet tonicam quâ apta fit ad contractionem, in antagonistarum actione evidens est, & uno musculo secto aut paralysi affecto, pars ad oppositum ducitur per hanc vim. Ab influxu fluidi nervei pendere videtur hæc vis viva. Elasticitate adhuc prædicta est fibra muscularis, & in ipso cadavere secta ad partes fixas retrahitur.

**CLXXVIII.** Ut verò motum voluntarium exerceat fibra muscularis, requiritur liber influxus fluidi nervei, vel qualiscumque causæ à medullâ oblongatâ

& medullâ spinali per nervos. Compresso, ligato vel secto nervo, perit motus in partibus ad quas ramos mittit infra ligaturam. Restitutâ libertate redit motus. Compresso encephalo vel medullâ oblongatâ, perit motus in omnibus partibus. Compressâ medullâ spinali, ita afficiuntur omnes partes compressioni inferiores. Irritato cerebro, cerebello, medullâ oblongatâ vel medullâ spinali, irregulares per totum corpus convulsiones excitantur. Irritato sub ipsâ sectione nervo, musculus ad quem spectat contrahitur. Motus voluntarii sœpiissimè fiunt involuntarii in statu morboſo. Hæc phænomena conſtanter docuerunt morbi & experimenta in animalibus vivis capta: tamen musculi à nervis separati per aliquod tempus irritabilitatem servant, ita ut puncti & irritati adhuc contrahantur, præcipue cor & intestina. Ligatis arteriis, refolvuntur musculi ad quos sanguinem eæ deferunt, sed lentiùs.

## SECTIO TERTIA.

*Phænomena motûs muscularis.*

CLXXIX. Inter musculos, alii voluntati obdiunt, alii ab ipsâ non reguntur. Motus voluntarii aliquandò fiunt involuntarii; automatici verò independenter à mente excentur. In utrâque specie, motûs phænomena eadem sunt: nempe dum se movet musculus, fibræ ipsius rugas contrahunt, breviores fiunt, fines accedunt ad invicem in ratione reciprocâ firmitatum, tumet tunc & dureſcit in proportione contractionis, non expallescit, uti plures voluerunt, nec volumen ipsius imminuitur. Tendo in hac contractione non mutatur, non agit, trahentibus carnibus obsequitur.

Postquam voluntatis imperium & vis contrahens desinit agere, fibræ musculosæ priorem longitudinem recuperant, relaxantur, musculus totus detumescit, mollescit, lineæ & fulci inter lacertos evanescunt, & in hoc statu remanet musculus, nisi nova musculum contrahens vis accedat.

**CLXXX.** Summa est celeritas contractionis muscularis, ut aestimari potest ex animali cursore, vel ex litterarum pronuntiatione. Multum potest verò consuetudo ad agiliores reddendos hos motus. Robur hujus actionis admodum adhuc insigne est, imprimis in phreneticis, & in quibusdam valentioribus mortali bus; licet vis absoluta vim effectivam multò superet, ob proximitatem hypomoclii, minorem angulum directionis potentiae, obliquitatem fibrarum in plurimis musculis observabilem, & cum maximâ velocitate exercentur illi motus. Hæc equidem erant necessaria ad concinnitatem corporis & agilitatem motuum; sed id inde concluditur, potentissimam esse actionem quæ contractionem muscularē producit, ut maximos effectus edat. Hanc aestimare voluerunt calculis physiologi; sed ab omni mechanicâ ratione notâ maximè remota videtur. Non ex pondere vel crassitie justò aestimari potest, neque ex modo insertionis in ossibus, sed ex innumeris causis à nervis vel à musculis pendentibus variari potest.

**CLXXXI.** Adjuvat motus muscularis facilem remissionem antagonistarum opera. Ubique nempe in corpore humano, musculus quilibet aequilibratur, vel pondere opposito, vel elatere, vel musculo, vel liquido quod cavo musculo expellenti retinetur. Ea causa, quæcumque sit, operatur perpetuò, etiam dum musculus agit, & quamprimum vis accessoria à cerebro veniens remisit, efficit ut artus aut pars quæcum-

que in statum priorem reponatur, in quo statu æquilibrium est inter musculum & causam oppositam.

**CLXXXII.** Alia adhuc adminicula sunt quæ motum muscularē tutum, certum & facilem reddunt. Musculi longi vaginis membranosis includuntur, tendines longi super flexos in motu suo articulos recipiuntur armillis propriis ligamentosis, ubi cum mobilitate lubricantur & firmantur. Alibi circa eminentias ossium ducuntur, ut ad majorem angulum se in os inserant. Alibi quasi circà trochleam diriguntur. Undique musculis circumponitur adeps, qui in contractione expressus fibras oblitus & flexilitatem conservat. Adjuvant adhuc cartilaginiæ interosseæ unguine articulari continuo lubricatæ.

**CLXXXIII.** A musculis variè inter se consentientibus & resistentibus perficiuntur gressio, statio, artuum flexiones, extensiones, deglutitio & tandem plurima vitæ humanæ munera: ipsorum verò efficacia pendet ab insertione & variâ mobilitate partium quibus infiuntur, tum & à concursu variorum musculorum in variis motibus cooperantium. Motus muscularis alias adhuc habet utilitates generaliores; quippe sanguis & humores intra vasa motu musculari promoventur, agitantur, conquassantur, inde stagnationis periculum minuitur, & plurimæ functiones melius exercentur; morbi à stagnatione humorum & cruditate alimentorum præcaventur: ideo inter prima hygienes præsidia motus recensetur: ex nimiâ tamen actione alia incommoda eveniunt.



## S E C T I O   Q U A R T A.

*De causâ motū muscularis.*

**CLXXXIV.** Per nervos causam motū ad musculos deferri constat ex dictis ( 178 ). Hanc causam quacumque agere, irritabilitatem fibræ musculari innatam excitando vidimus, & in aliis motum esse voluntarium, in aliis imperio voluntatis non obedire. Ad veram igitur motū muscularis causam detegendam, noscendum esset quid deferant nervi, unde pendeat irritabilitas, quid agat voluntas in nervos, & quomodo differant musculi voluntati obedientes ab aliis motus authomaticos exercentibus. In his problematibus solvendis non dubii hærent plurimi physiologi.

**CLXXXV.** *Galenus* dixit voluntatem movendi in cerebro natam ex ventriculis per nervos deferre facultatem contractilem. Explicationes futiliores proposuerunt Chimici. Si credamus *Villifio*, per vim animæ, particulæ nervosæ, spirituosæ, salinæ concurrunt cum particulis sulphureis nitrosis sanguineis, unde effervescentia, & rarefactio quæ latiorem & breviorem reddet musculum. Juxta *Borellum* fibræ muscularosæ sunt vesiculares, & intra illas vesiculas, fit effervescentia à concursu sanguinis arteriosi alkalicí cum spiritu nervoso acido. Hanc sententiam corrigebat *Bernoulli* dicens intra sanguinem contineri tenuem aërem, spiritum autem nervosum gaudere spiculis subtilissimis, & concursu utriusque humoris intra vesiculas ab aculeis nervosi liquidi diffringi particulas aëris quæ liberè se expandunt & musculi inflationem producunt. *Keilius* loco spiculorum supposedit vim attractricem globulorum sanguineorum cum spiritu animali & inde expansionem aëris elastici intra

globulos contenti, ubi spiritus illi pro voluntate influunt. Alii fibris transversis in musculo nervosis dixerunt stringi nutu voluntatis & per influxum spirituum fibrillas musculosas longitudinales, cavas, sanguine turgidas. Alii solum influxum spirituum animalium, alii solum influxum sanguinis attulerunt. Fibram muscularam intortam à vi liquoris subeuntis humectatam & inde breviorem fieri proposuerunt nonnulli. Elasticitatem fibræ muscularis per sanguinem vel alios liquores incitatam supponunt Clariss. *Fizes & Deidier*. Ad influxum sanguinis in arteriam muscularam, cum lymphâ nerveâ recurrit *Bertier*, *Physique des corps animés*. Utriusque actionem in eo consistere credit quòd fibras motrices distrahendo, sanguinem reti vasculoſo exteriori impactum intra textum fibræ urgeat, & ita sequatur longitudinis imminutio. Motum expansivum & dein contrac- tivum fluidi nervei ad voluntatis nutum fieri finxit *Lecat*, *Traité du mouvement musculaire*. Animam omnis motū causam in animale dixit *Stahlius*, modum actionis non explicat. Nuperi tandem physiologi fibram muscularam habent pro serie vesicularum sibi invicem applicatarum, in quas impulsus spiritus mutabit graciles ellipses in spheras, unde explicatur virium maximum compendium. Sed vesicularis illa fabrica omnino est hypothetica. Non explicatur in hac sententiâ celeritas motū muscularis. Præterea an brevior redderetur series vesicularum quæ in omnem sensum extenderentur? Sunt musculi in quibus sine spirituum animalium influxu persistit aliquandiu motus automaticus.

**CLXXXVI.** In his hypothesibus cum subsistere non possimus, nullam credimus unquam explicacionem mechanicam problemati satisfacere. Motus mus-

culorum certò nihil est nisi vis contractilis naturalis aucta per irritabilitatem in actum productam. Animæ vim effectricem non intelligimus, influxum physicum non percipimus; ad energiam irritabilitatis quam excitat fluidum nerveum cum cerebro communicans recurrere cogunt phænomena. Sed fluidum nerveum in actum non agitur nisi per sensibilitatem excitatam. Hinc à sensationibus derivari motus voluntarios, & harum sensationum, vel præsentium, vel prægressarum occasione exerceri estimamus. Hæc dependentia mobilitatis voluntariæ à sensibilitate, licet in motibus citissimis & frequentissimis non appareat propter consuetudinem, ab ipsâ tamen pendet in primâ origine. Quippe homo à nativitate destitutus omni sensu & sensibilitate, privaretur etiam motu voluntario. An hæc dependentia sensûs & motûs ab unione fibrarum nervosarum diversarum pro motu & sensu exercendo pendet? Nemo huic quæstioni satisfacere potest, cum intimam fabricam substantiæ medullaris nervorum perspicere non possumus, & cum cerebri œconomia ultra sensus ponatur necessariò. Nervi igitur ad motum producendum sunt apti, quando cerebri, cerebelli, medullæ oblongatae & medullæ spinalis sufficientem influxum recipiunt.

Causam motuum voluntariorum & involuntariorum ex eâdem causâ eruimus, cum eâ differentiâ quod irritabilitas muscularum motibus automaticis inservientium per causam à voluntate independentem excitetur, in aliis verò voluntati subjaceat causa hanc irritabilitatem excitans, & voluntas sensationibus prægressis submittatur.



## C A P U T VIII.

*De sensibus externis.*

**CLXXXVII.** **A**LTERA cerebri & nervorum functio est sensatio, seu impressionum corporum externorum perceptio. Ut verò illa exerceatur, requiritur objectum proprium modo convenienti afficiens organum huic sensationi dicatum, & libera hujus impressionis ad cerebrum per nervos translatio. Quintuplicem modum percipiendi objecta externa homini concessit Creator, nempe tactum, olfactum, gustum, auditum & visum. Fames & sitis cum sensu venereo ad appetituum species potius referuntur. Hinc quintuplici sectione comprehendetur sensuum externorum historia.

## S E C T I O P R I M A.

*De Tactu.*

**CLXXXVIII.** Tactus, licet in universâ corporis compage adsit, præcipuam tamen habet sedem in extremis apicibus digitorum manus, in extremis etiam digitis pedis aliquo modo residet, sed per consuetudinem ferè omnino aboletur. Hujus sensus organum continent integumenta; nempe supra cutem elevantur papillæ molles in extremis digitis frequentissimæ, quæ ex pulpâ nervorum hic terminatorum conficiuntur. Cutem tegit epidermis cuius superficies interna mollis & pulposa papillis nerveis alveolos præbet.

**CLXXXIX.** Quomodo exerceatur hic sensus facile intelligitur : ubi digitorum flexilium extremitates ad corpora inquirenda applicantur , papillæ ibi copiofissimæ recipiunt impressionem ab objecto ; hæc vero per nervos ad sensorium commune transfertur , unde innoteat qualitas tactilis corporis , figura nempe , asperitas lævities , durities , frigus , calor , mollities . Epidermis cum muco Malpighiano impressiones corporum externorum moderatur , papillas humectat & defendit . Ungues tactui præsunt extremum digitum sustinentes , robur & facilitatem apprehensioni conciliant .

**CXC.** Hunc sensum homini perfectissimum super omnia animalia impertiens Creator , certiorem & faciliorem ipsi præbuit externa indagandi methodum quam à tenerâ ætate exercet . Quippe aliis sensibus certior tactus , ipsorum aberrationes frequentissimas corrigit & moderatur . Multò minus tamen æstimamus hanc solam inter bruta & homines intercedere differentiam ; sed notionum campus inde admodum extenditur . Gratas & molestas affectiones vividas ex hoc sensu percipimus ; titillatio à blandâ tegumentorum affrictione in sensibilioribus excitatur . Aliis sensibus ex consuetudine aliquando supplet tactus .

#### S E C T I O   S E C U N D A .

##### *De Gustu.*

**CXCI.** Cum tactu convenit gustus : primarium hujus sensus organum est lingua ex fibris musculofis composita , & ope illarum , tum per varios musculos externos admodum mobilis . Tenui involucro & molli cuticulâ tegitur quæ intus reticulum gerit quo recipiuntur papillæ supra linguam conspicuæ . Aliæ crassiores , truncatae , paucæ numero , basim linguæ oc-

cupant. Aliæ fungiformes multò copiosiores in mediâ parte; aliæ conicæ minores & tandem tenuiores sunt in apice linguæ. Constant omnès ex pulpâ nervorum hic distributorum cum textu celluloſo & vasculis minoribus intricatâ, suntque verum gustûs organum. Glandulæ mucosæ totam faciem oris interni & linguæ obſidentes, villi ibi exhalantes, ſaliva huc affluens humiditatem necessariam conservant. Aliquæ notabiles glandulæ in basi linguæ ductum communem, ſeu foramen cœcum habent.

Arteriæ raninæ quæ linguæ proſpiciunt à carotide externâ nascuntur, ad venas jugulares externas confluunt venæ cognomines.

Nervos habet lingua à tribus truncis, unum nempe accipit à tertio ramo quinti paris, & ille ad apicem præcipuè distribuitur, aliud, qui noni paris truncus eſt & mediæ parti proſpicit, aliud posteriorem, qui ab octavo pare procedit. Licet verò in palato, buccis, fauibus, oris ambitu aliquis g��us exerceatur, præcipua tamen ſedes eſt in linguâ.

**C X C I I.** Tactus aliquis in linguâ exercetur, ſed prætereà alio ſenſu quem cutis ignorat, afficitur; partes nempe oleofæ & ſalinæ alimentorum & potulentorum liquoribus ſalivalibus mixtæ & diſſolutæ papillas linguales certo modo afficiunt. Inde ſequitur ſaporum perceptio quæ in variis hominibus & animalibus varia eſt, pro variâ papillarum diſpositione & naturâ. Inde tantæ in ſaporibus varietates quæ ex ætate, ſexu, conſuetudine, temperamento, morbo, ſalivæ conditione pendunt; inde tanta hujus ſensûs inconstantia. Diverſitatis ſaporum ex figurâ ſaliū aliqui explicare fruſtra tentarunt, cum ab eādem figurâ cristallorum, certus & idem ſapor non ſemper oriatur; insipidum eſt quod miñus ſalis quam ſaliva habet.

**CXCIII.** Maxima est hujus sensūs utilitas, quippe ad vitam servandam invitat voluptas quam alimentis præbet gustus, & famis satisfactiōni illecebras addit. Aliquid adhuc docet ad naturas ciborum dignoscendas, sed sæpius inde fallimur. An hunc sensum acutiorem præbuit natura animalibus nonnullis, cum alimenta noxia distinguant, licet & aliquando decipientur?

## SECTIO TERTIA.

*De Olfactu.*


**CXCIV.** Olfactūs sedes est in naribus: illæ nobis offerunt multiformem & amplam cavitatem ossibus plurimis cranii & faciei insculptam quam tegit nasus osseus cartilagineâ portione mobili adhuc extensus, muscularibus aliquibus fibris dotatâ. Duas habet aperturas septo narium separatas nasus externus. Hoc septo partim cartilagineo, partim osseo dividitur cavitas narium quæ ex sinibus frontalibus, ethmoideis, cellulis orbitariis & conchis inferioribus narium conficiuntur. Omnes illas partes tegit membrana pulposa, mollis, quæ cuti continua est, papillis plurimis ornata, epithelio tenuissimo tegitur. Mucum copiosum fundunt folliculi ibi numerosi, tum & vasa huc dispersa: arterias verò à maxillari internâ, ab ethmoideâ anteriori, ab ophtalmicâ & à variis vicinis ramis accipit, quæ arteriæ sanguinem facile & sine incommodo fundunt. Arteriis dictis venæ correspondent: nervi ad nares internas præcipui ex primo pare procedunt, alios à quinti paris primo & secundo ramo numerosos surculos accipiunt.

**CXCV.** Materias odorum constituunt effluvia spirituosa, oleosa, salina tenuissima quæ ex omnibus ferè naturæ corporibus continuò emittuntur in atmosphē-

ram. Horum effluviorum subtilitatem ultra conceputum plurima phænomena demonstrant ; tamen vias lumini, calori, electricæ & magneticæ materiæ apertas non penetrat ; innumeræ verò eorum species docet tanta odorum diversitas quam animalia nonnulla tam exactè distinguunt. A materiâ sapidâ differt materia odorum, cum vehementer odorata corpora sapore vix ullo, sapida verò aliquando nullo odore donentur.

**CXCVI.** His effluviis onustus aér, ubi inspiratur vel per motum fluiditatis rapitur ad nares, nervos olfactorios proprio modo afficit in septo narium, in cellulis & appendicibus ethmoideis imprimis expansos, ubi videtur præcipua sensationis sedes. Nervos penè nudos defendit mucus in universis naribus abundans, & in recessibus sinuosis retentus, per emunctionem expellitur, vel per sternutationem. Hujus sensus aciem multæ causæ obtundunt in societate, hominibus aliquando tamen perfectissimum, animalibus verò plurimis multò exquisitiorem concessit natura, ita ut aliis sensibus quasi supplere possit.

**CXCVII.** Magnam vim odorum explicat nuditas nervorum & cerebri proximitas : non mirum inde si venenatas vel medicas vires habeant, ita ut inde subitos & magnos effectus producant effluvia aliquando quidem inodora : utilitas hujus sensus est ut gustui subveniat ; & sufficit animalibus ad cibos dignoscendos, & in illis exquisitissimus est : hominibus verò, licet corruptus, adhuc utilis est, & ad alimenta nos invitat, vel ab illis nos repellit. Multum verò potest consuetudo in odorum uti & saporum perceptione, sed aliquando offeruntur aversiones insuperabiles ab idyosincrasia repetendæ.



## SECTIO QUARTA.

*De Auditu.*

**CXCVIII.** Auditū organum est auris, cuius pars exterior cartilaginea plures eminentias habet & cava-  
tates: macilentā cellulositate & tenui epidermide cum  
cute strīctā tegitur; ambitus externus eminentiam gerit  
quæ helix dicitur, alia interior supernè dividitur, in-  
feriùs in antitragum terminatur. Ex alterā parte, seu  
anteriùs opponitur tragus. Una cavitas helicem se-  
quitur & scapha dicitur. Altera est inter crura anthe-  
licis, & innominata dicitur; media tandem offertur  
depressio seu concha. Lobulus mollis & carneus in-  
feriùs appenditur. Hanc cartilaginem regunt tres mus-  
culi externi, & aliquæ minores fibrillæ musculares  
cartilagini superimponuntur. Concha continuatur in  
meatum auditorium partim cartilagineum, partim os-  
seum, quem cutis sensilissima cum epidermide tenuissi-  
mâ pilis & glandulis ceruminosis propriis obsitâ tegit.  
Meatum auditorium claudit membrana timpani sensi-  
lissima, obliquè posita, subrotunda, introrsùm parum  
prominens, in sulco osseo protensa, in plures laminas  
divisibilis, vasculis picta est. Hanc foramine proprio  
pertusam multi afferunt, sed accuratiora experimenta  
hoc foramen in statu naturali negarunt, & qui des-  
cribunt, omnes non consentiunt.

**CXCIX.** In cavitate tympani continentur officula  
quatuor, malleus nempe, incus, os lenticulare & sta-  
pes. Malleus manubrio suo membranæ tympani ad-  
hæret, & capitulo cum incude articulatur: incus duo  
crura habet, unum brevius, alterum longius, cui ad-  
hæret officulum subrotundum orbiculare vel lenticu-  
lare, & huic adnectitur stapes cujus basis ad fenestram

ovalem pertingit. Periosteo teguntur hæc ossa & celeriter ossecent, aliquibus ligamentis invicem retinentur cum mobilitate. Musculos habent duos evidentes; unus est internus malleo proprius in fulco qui tubæ eustachianæ superius adjacet, sub capite mallei inseritur, tensor tympani dicitur. Duos alios malleo adhuc musculos assignant plurimi, unum externum nempe & aliud anterius, sed natura musculosa valde dubia est & potius ligamenta sunt. Alter adhuc musculus stapedius dictus est in cono osseo cavitatis tympani partim contentus, stapedis capituli parti posteriori inseritur, membranam fenestræ ovalis tendit, stapedis partem anteriorem elevando. In cavitate tympani varia aperiuntur orificia. Anterior patet tuba Eustachii quæ in fauces ex alterâ parte terminatur. In fundo duæ fenestræ notantur, quarum una ovalis in vestibulum, altera rotunda in vestibulum & in cochleam dicitur. Sunt aliqua alia foraminula pro vasis & nervis,

CC. Vestibulum est rotunda cavitas in quâ canales tres semicirculares quinque orificiis patent. Horum canalium unus est major, posterior & inferior, alter superior medius, tertius externus minor horizontalis. Hic etiam patet cochlea seu artificiofissimus canalis spiralis nucleo tenuissimo circumvolvulus; per laminam spiralem etiam dividitur in duos semicanales quos scalas vocant: unus in fenestrâ rotundâ, alter in vestibulo aperitur. In variis his labyrinthi diverticulis, scilicet in vestibulo, canalibus semicircularibus & cochlearia distribuitur pulpa portionis mollis nervi acoustici, dum portio dura ad aquæ ductum fallopii tendit. Ipsius jungitur ramulus à quinto pari proveniens, sub nomine chordæ tympani, qui per foramen stylomastoidicum exit, ad aurem externam & faciem cum nervis vicinis.

vicinis prospicit. Vasa sanguinea arteriosa & venosa  
a truncis plurimis vicinis accipiunt diversae partes  
organii auditus.

**CC. I.** Venit nunc explicanda soni theoria physica,  
quae consideratur in corpore sonoro, in medio am-  
biente & in aure. Sonus consistit in tremore oscilla-  
torio insensibilium, minimarum, elasticarum molecu-  
larum corporis sonori. Illae vero oscillationes lentiores  
sunt, vel tardiores, pro ratione diametri chordae, ip-  
sius longitudinis vel tensionis, inde pendet sonorum  
diversitas. Diversa dein oscillationum ratio in eodem  
intervallo tonos efformat, ita ut unisonae sint chordae  
quae eundem numerum oscillationum in dato tempore  
producunt. Octavam distant quarum una duplo plures  
quam altera oscillationes habet. Quintam dicunt quan-  
do proportio est 3. ad 2. quarta si ratio sit 4. ad 3.  
tertia major, ubi 5. ad 4. tertia minor, ubi 6. ad 5.  
sexta major 5. ad 3. sexta minor 8. ad 5. idem dici  
potest de omnibus corporibus sonoris ac de chordis.  
An in aere sint moleculae cuique fono correspondentes  
vix dicere possumus. Hi tremores sonori ambientibus  
corporibus communicantur, licet duris & ipsi aquae;  
imprimis tamen per aerem proprium vehiculum pro-  
pagantur.

**CC. II.** Undae sonorae auriculam feriunt, ab ea re-  
flectuntur in concham & pergunt in meatum audito-  
rium cylindricum, dein in membranam tympani obliquè  
positam illidunt. Haec in tremores cietur, tenditur vel  
laxatur. Oscillationes acceptae ab aere, malleo, in-  
cudi, ossi lenticulari & stapedi communicantur, trans-  
mittuntur ad vestibulum. Alia adhuc est tremoribus  
sonoris maximè utilis via aperta per tubam Eusta-  
chianam quae priori aliquando supplet, ita etiam tre-  
mores sonori ad cavitatem tympani immediatè per-

veniunt ; ex tympano per fenestram ovalem ad vestibulum pergunt, & in hac cavitate impressionem supra medullam nervi acousticci excitant, cuius impressio-  
nis naturam vix possumus determinare, cum aër de-  
ficere videatur : ad canales semicirculares & ad co-  
chleam defertur hæc impressio. Quid verò utraque  
pars conferat, vix possumus dicere, cum aves careant  
cochleā, in piscibus frigidis deficiant vestibulum &  
cochlea. In nullis verò audientibus canales semicir-  
culares absunt ; tamen veram sedem auditū quadru-  
pedum in toto nervo molli positam censemus. In co-  
chleā nervos laminæ spiralis ad harmonicam tensio-  
nem dispositos esse, vix probabile.

CCIII. Quærunt adhuc, quid chorda tympani  
ad auditum faciat. Cur soni compositi sit simplex  
sensatio. Quomodo plures soni simul percipientur dis-  
tincti. Unde sonorum in aliquibus non justa percep-  
tio, *oreille fausse* dicunt galli ? Unde diversitas in di-  
versorum hominum auditu, ratione morbi, aetatis, con-  
suetudinis ? Cur placent certi modi & successiones  
tonorum propriæ, dum aliæ ingratè afficiunt, & unde  
harmoniæ gratia ? Unde tanti effectus musices ad af-  
fectus animi producendos, præcipue apud veteres noti ?  
Quomodo morbos varios sanare potest musica ? An  
homo auditu excellit supra animalia, quæ ideo gra-  
tiam sonorum non videntur percipere ?

#### S E C T I O   Q U I N T A.

##### *De Visu.*

CCIV. Visus organa sunt oculi in orbitâ siti :  
partes habent alias bulbo exteriore, alias proprias.  
Nempe in frontis inferiori parte ad orbitæ marginem,  
arcus superciliorum pilis extrofsum flexis conspicui

eminent, ad oculos defendendos. Frontalibus muscularis, corrugatoribus superciliorum, tum & orbicularibus palpebrarum moventur. Palpebræ verò sunt vela mobilia quæ oculos defendunt. Maximè mobilis est superior palpebra, & proprio musculo qui à fundo orbitæ ad ipsam producitur obedit, fixa est inferior. Utraque verò fibris muscularibus donatur, quæ in angulo interno ligamento cuidam minori accretæ, muscle orbicularem palpebrarum constituunt; oculi bulbum per summam mobilitatem defendunt & in somno lucem arcent. Utriusque palpebræ margo cartilagineam laminam gerit quæ tarsus dicitur. Glandulæ Meibomianæ unguen sebaceum ibi deponunt, & excrescunt pili minores arcuati qui adhuc à peregrinis & luce dividiori oculos defendunt.

CCV. In interiori verò palpebrarum superficie, integumenta communia tenuiora facta membranam conjunctivam sensilem valde & vasculosam constituunt, quæ iterum reflexa anteriori bulbi superficie firmiter adhæret. Palpebrarum superficiem internam humectat continuò humor ibi perspirans, imprimis verò liquor lacrymalis qui ex glandulâ propriâ conglomeratâ in recessu cavo ossis frontalis sitâ continuò deponitur, per ductus proprios in facie internæ conjunctivæ palpebralis apertos. Harum lacrymarum affluxum ad genas impedit caruncula lacrymalis cum parvâ semilunari eidem præfixâ membranâ. Ibi tentæ lacrymæ in puncta lacrymalia superiùs & inferiùs aperta absorbentur, dein ad saccum lacrymalem & per ductum proprium ad nares fluunt, nisi in majori copiâ secernantur, vel obstructa sint puncta lacrymalia. Hunc liquorem copiosius exprimunt teneri & tristes animi affectus, quod videtur humano generi proprium.

**CCVI.** *Oculus globosus in orbitâ situs, multo adipe circumfusus est, pedunculum posteriùs gerit qui est nervus opticus. Musculis sex regitur. Ex his quatuor recti sunt & duo obliqui, quorum ope ad omnes partes moveri potest. Hi musculi ex fundo orbitæ nati in scleroticam inseruntur, tunicæ verò oculi bulbo accessoriae duæ sunt, prior occurrit conjunctiva, tenuissima, cum epidermide continua, supra corneam etiam producitur. Altera albuginea ex textu celluloso composita. Tres verò bulbum constituunt: prima densa, crassa & stipata, sclerotica dicitur, oculi bulbum format; anteriùs adhæret cornea magis convexa, pellucida & multis laminis composita. Scleroticæ parietem investit, & cum eâ per continuata vasa co-hæret membrana vasculosa, choroidea dicta, ex duplice laminâ conflata, & nigro pigmento anteriùs picta. Ubi proximè ad corneam pervenit, cum scleroticâ arctè cohæret, ut quasi in ambitu corneæ ligamentum constituat: ibi septum membraneum circulare in medio pertusum adhæret, quod etiam duplice laminâ conflatum anteriùs iridis colores refert, uvea dicitur posteriùs. In utrâque facie, numerosæ striæ radiatæ, ramosæ, coloris varii apparent. An sint musculares, an nerveæ, an ligamentosæ valdè dubium est: sed contractionis & relaxationis à voluntate independentis sunt capaces, ut pupilla magis vel minus arctari possit. Striæ verò posteriores, crassæ, eleganter plicatae, nigro pigmento obductæ, vitrei humoris & lentis capsulam pingunt, coronæ ciliaris nomine. Omnem tandem internum choroideæ ambitum vestit retina ex medullosâ nervi optici substantiâ & vasis subtilissimis cum textu celluloso tenuissimo intertextis composita. Alias tunicas cum involucris nervi optici continuari nihil demonstrat,*

**CCVII.** Harum tunicarum concavitatem implet exactè globus pellucidissimus, tribus constans humoribus. Partem maximam & posteriorem occupat humor ob consistentiam vitri fusi, vitreus dictus, suâ hyaloide tunicâ amictus, cellulis communicantibus quarum parietes sunt hyaloidis propagines detinetur; fosculâ quâdam, anteriùs lentem crystallinam fuscipit. Pupillæ obvertitur hæc lens utrinque convexa, ex lamellis concentricis, humore interveniente turgidis, conflata. Tunicâ propriâ obvolvitur. Tota reliqua cavitas in duas cameras à septo pendulo distincta est. Ampla anterior, minima posterior, quam quidem negant aliqui. Has replet humor aqueus subsalsus, datâ aperturâ citò effluens, sed citò reparandus. Vasa secretoria horum humorum intra membranas illas continentest repunt.

**CCVIII.** Maxima est nervorum ad oculos & partes ambientes sese distribuentium copia. Jam totum secundum par quod opticum dictum fuit habet. Tertiū par, seu oculorum motorium, dividitur in sex ramos; primus abit ad elevatorem palpebræ, secundus ad elevatorem bulbi, tertius ad depressorem, quartus ad adducentem, quintus ad obliquum, sextus in oculi tunicas dispergitur. Quartum par patheticum dictum, tenue, musculum oculi trochleatorem seu obliquum internum adit. Primus ramus quinti paris, ophtalmicus dictus, palpebris, musculis frontis, & faciei tegumentis prospicit. Sextum autem par, postquam ramulum misit ad intercostalis originem, vel ab ipso ramulum accepit, in musculum oculi rectum terminatur. Arteriae quæ oculum adeunt oriuntur ab ophtalmicâ arteriâ, quæ carotidis internæ est propago. Venæ in venam ophtalmicam sanguinem ducunt, inde in sinum orbitarium, qui cum sinubus cavernosis communicat.

**CCIX.** In convexam superficiem corneæ incidentes luminis radii, sub angulo minori quam 40 graduum, refringuntur ad perpendiculum, fiunt convergentes, pergunt per aqueum humorem, pupillam transgre- diuntur, dum alii sub majori angulo incidentes, in iride & in pigmento nigro suffocantur; pupillam transgressi, crystallino paulò densiori occurunt qui convergen- tiam radiorum adhuc auget, pergunt per vitreum, ita ut harum refractionum vi coëant radii luminosi in tot puncta quot habet objectum: inde exprimitur ipsius imago admodum exigua suprà retinam, impressio ad sensorium commune transmittitur, & excitatur idea rei visæ. Hæc phænomena ex naturâ luminis, ex experimentis tentatis in oculo artefacto, naturali, lente vitreâ & camerâ obscurâ evidenter probantur. Retina igitur est primarium visionis organum. Qui choroïdem assignant, omnino hallucionantur; quippe in eam non impingit imago, medulla nervorum ubique impressio- nes sensiles transmittit, aliunde facilè explicatur *Mar- riotti* experimentum, & docet utilitatem insertionis la- teralis nervi optici, scilicet ut imago pingatur ad ipsius exteriora, & axis opticus non sit in nervi ingressu.

**CCX.** Quomodo ex imagine inversâ objectum rectè judicetur, inquirunt plurimi: alii consuetudinem & tactus usum afferunt, sed animalia aliqua modo nata benè distinguunt. Credimus potius lege visionis referri objectum ad extremitatem radii luminosi. Quomodo ex dupli imagine simplex fiat sensatio, si quæramus, alii unionem nervorum opticorum repetunt; sed ali- qua animalia objecta simplicia vident, absque con- cursu opticorum nervorum, & auditus non duplex est, licet non concurrent nervi auditorii. Credimus potius unum punctum distinctè videri ex unico oculo. Concurrentibus verò axibus opticis, similes impressio-

nes non distinguantur : hinc ex morbo , ex affectu ani-  
mi , aliquando ex vitio organi , in unico quidem oculo  
duplex appetet objectum.

CCXI. Ad visionem distinctam , plurimæ condi-  
tiones requiruntur . 1.º Retina neque sit nimis sensibilis  
neque parum : inde enim noctalopia & hemeralopia .  
2.º Pupilla sit neque nimis angusta , neque immobilis .  
3.º Humores sint pellucidi . 4.º Oculus sit undique  
obscurus præter axim . 5.º Coëant radii supra retinam :  
hinc unum est punctum visionis distinctæ , diversum  
in diversis hominibus , aliquando in duabus oculis . Si  
verò coëant antequam retinam attingant , fit miopia  
cujus causæ multiplices esse possunt , nempe conve-  
xior cornea , vel lens crystallina , major densitas hu-  
morum , justo major distantia crystallinum inter &  
retinam , quibus vitiis multa ansam præbent . Cæte-  
rūm miopibus pupilla latior est , ut adeo lux minor  
ipsis sufficiat , & si non cernunt proxima , diffusa op-  
timè perlustrant . Remedium vitio nascenti est in loca  
diffusa prospicere , abstinere à minutis objectis & vitris  
concavis , videre per foramen exiguum quo lux debi-  
litatur . Solatium vitio nato afferunt vitra concava ,  
quorum dimensiones docet dioptrica ; miopiam cor-  
rigit ætas . Si radii ultra retinam coëant , nascitur  
presbiopia cuius causæ & remedia sunt miopiæ oppo-  
sita . Ubi non ad eandem distantiam concurrunt radii  
in utroque oculo , nascitur strabismus , cuius causa  
multiplex esse potest , curatio difficilis . 6.º Tandem  
pro diverso luminis gradu & pro ipsius actione , motu  
proprio , non contractili , sed ad aliquam potius elasti-  
citatem nativam pertinente , magis vel minus elon-  
gantur iridis fibræ , & pupillam arctant vel dilatant ,  
absque imperio mentis ; inde moderatur efficacia lu-  
minis vividioris vel ad creperam augetur .

CCXII. Felicissimum tandem optices miraculum nobis offert oculus, quo nempe ad diversas distantias objectorum se accommodat. Credunt ideo plurimi oculum posse breviorem fieri, vel longiorem: causam hujus mutationis assignant aliqui processuum ciliarium actionem quâ mutatur distantia lentis à retinâ vel ipsius figura. Sed merè vasculosi sunt processus ciliares, capsulae lentis leviter adhærent, lentem deprimere non valent, multò minùs ipsius figuram mutare, & hac extractâ, oculus adhuc ad varias distantias se accommodat. Alii musculos oculi rectos bulbum oculi breviorem, obliquos verò longiorem reddeſe estimant, sed de ipsorum actione non consentiantur alii. Præterea in avibus & piscibus cartilaginea vel ossea est sclerotica; tandem non ita valent hi musculi. Alii sphincterem uveæ assignant qui corneam faciat magis vel minùs prominere. Alii ad pupillæ dilatabilitatem variam recurrunt. Hanc equidem sufficeré credimus 1.º cum sit latus campus imaginis distinctæ in camerâ obscurâ & in oculo. 2.º Cum ex majori vel minori diametro foraminis lucem admittentis objecta magis vel minùs distinctè appareant; inde ad objecta propinquiora arctatur, ad distantiora dilatatur pupilla.

CCXIII. Ex impressione imaginis supra retinam, sequitur idea rei visæ. Minùs tamen adæquata effent judicia inde nata, nisi per aliorum sensuum & præcipue per tactûs experientiam corrigerentur; quippe imago non exprimit magnitudinem veram, neque distantiam, neque figuram veram, neque locum objecti, uti ex cœcis arte curatis constavit. Idea motûs nascitur ex impressione successivâ ejusdem objecti supra diversa puncta retinæ: ex magnâ distantia vel lentore motûs vel directione objecti erramus sæpius. Unde

strabismus & quænam ipsius medela? Unde diurna cœcitas aliquibus regionibus, morbis, & aliquibus animalibus familiaris? Unde nocturna eorumdem visio? Unde dolemus à tenebroso loco in lucidum subitò translati?

---

## C A P U T I X.

*De sensibus internis.*

CCXIV. **H**Æc est lex in corpore animali à summo Creatore posita, ut, occasione impressionis modo convenienti supra organa sensoria factæ, nascatur perceptio seu repræsentatio obiecti. Hoc est primum idearum principium cuius simplicitas materiæ non convenire potest, licet ipsi inhæreat & cum ipsâ uniatur: quænam sit lex unionis, quænam sit fibram intellecualium natura, & quænam affectio requiratur, ut perceptionem propriam inducant, nemo mortalium dicet, cum nullam differentiam inter fibras tactiles, visibiles, auditivas, &c. observemus, licet totâ naturâ certè differant.

CCXV. Communicationem à loco impressionis ad cerebrum necessariam omnia demonstrant, saltem in homine; inde omnes principii sentientis sedem in cerebro reponunt, licet spiritualem dicant animam, quæ videntur contraria. Nos verò ab hujus principii investigatione abstinentes, observamus occasione mutationis in organis sensoriis factæ, definitas nasci cogitationes, si adfit cerebri libera communicatio, & vicissim occasione mutationis factæ in cerebro ref-

fuscati perceptiones non raro videmus : inde animæ & corporis mutua dependentia demonstratur , licet minus intelligatur.

**CCXVI.** Perceptiones per organa externa acceptæ invicem comparantur , sequitur appetitus rei gratæ , aut aversio rei noxiæ , inde voluntas & motus voluntarius (186). Secunda idearum origo est reflexio , vel attentio , quâ fit ut ideæ per sensus acceptæ retineantur , comparentur ; & hæc est altera activitatis animæ demonstratio quæ materiæ non convenit. Animam verò semper cogitare non credimus. An plura cogitemus unà ? Unde tam varia attentionis capacitas ? An in brutis illæ operationes perficiantur , & principium spirituale etiam exigant non inquisimus.

**CCXVII.** Fibræ intellectuales ab impressionibus acceptis aliquo modo , quicumque sit , modificantur : illæ modificationes conservantur , & de novo resuscitantur perceptiones , ubi idem motus excitatur ; facilius verò quæ per visum & auditum acceptæ fuerunt. Inde imaginatio quæ perceptiones prætergressas repræsentat , memoria quæ signa & circumstantias revocat , & ideò usum signorum exigit , reminiscientia quâ prætergressæ sensationes à præsentibus distinguuntur , & personalitas constituitur. Has facultates certè à vestigiis materiaibus pendere docent observata practica & innumera phænomena , ubi excitantur , laeduntur , vel restituuntur , aut tandem abolentur per variam corporis dispositionem & per morbos. Quænam sint verò illa vestigia , quomodo tot impressiones in viris instructissimis retineri possint , quomodo aliæ ab aliis distinguantur , si queratur , dubii hæremus. In brutis etiam residere non negandum , licet in minori gradu. Quomodo igitur agit ars mechanica memoriæ ? Unde tanta in diversis

hominibus harum facultatum diversitas , ita ut maximâ alii polleant , dum alii nullam impressionem ferè retinent ? Per ætatem vulgò delentur.

**CCXVIII.** Impressiones per sensationes acceptæ , vel per vestigia modò dicta revocatæ invicem comparantur , & hæc est altera activitatis principii cogitantis probatio. Inde nascitur judicium à voluntate independens , ubi circa sensationes tantum versatur , uti in brutis evenit quæ solus instinctus dirigit. Homo verò supra bruta multiplici modo eminet , impressiones à sensibus accipit , à tactu præcipue certiores & multiplices , ipsis denominationes assignat , & ope signorum vocalium vel pictorum , facultatum intellectualium campum admodum auget , notiones sensationibus addit per abstractionem : in societate præterea lege creatoris constitutus , ratiocinii capax , moralitatis est compos & perfectibilitatis.

**CCXIX.** Quippe libertate fruens , variarum legum dominio subditus est homo , judicia & actiones non ad sensationes solas , sed ad notiones dirigit , ubi liberum est functionum spiritualium exercitium ; secùs verò ubi ex cerebri malâ constitutione , vel ex vividis affectionibus perturbatur , ita ut perceptiones imminuantur vel ipsarum comparatio non amplius ad voluntatem instituatur. Inde delirium multiplicis generis , & fatua imbecillitas. Quò facilior verò est idearum & notionum prægressarum comparatio , eò felicius functionum spiritualium exercitium ; inde ingeniorum diversitates partim ex physicis , partim ex moralibus repetendæ. In distinguendis igitur ideis judicium , in uniendis ponitur ingenium.

**CCXX.** Omnibus entibus sentientibus ingenitus est sui ipsius amor , inde desiderium felicitatis & fuga doloris. In solâ appetituum satietate versantur brutorum

desideria ; homo verò in societate constitutus innumeras alias necessitates morales physicis addit , ita sensationes vividiores nascuntur , unde multiplices fluunt animi affectus quorum varia est energia & maximum imperium : varium verò effectum edunt ex varietate idyosincrasiae , & variæ ex illis oriuntur mutationes in corpore , aliquando bonæ , aliquando pessimæ . Hæc omnia unionem animæ & corporis demonstrant , modum verò absconditum semper relinquunt . An potest explicari affectuum animi varia physionomia ? Unde pendet indoles ? Unde ipsius varietates in diversis hominibus & in eodem homine mutabilitas per ætatem ? An per educationem informari possunt animi mores ? Unde consuetudinis potentia ?

---

## C A P U T X.

*De Somno.*

**CCXXI.** VIGILAT mens , ubi mutationes in sensoriis organis per corpora circumposita factas apprehendit . Sed magnam partem vitæ animalis occupat status oppositus , seu somnus , eò longior quo propior est origo , & in extremâ senectute reddit . Omnia animalia huic legi subdita sunt , licet aliqua parum dormiant . Hujus statûs phænomena , causas & effectus , quantum natura permittit , perpendemus .

**CCXXII.** A vigiliâ in somnum labenti frequentes fiunt oscitationes , obtunduntur sensim & difficilius exercentur omnes sensus externi & interni , ideæ quasi dissolvuntur , resolvuntur musculi palpebrarum , accedit sensus ponderis in corpore , & tandem desinunt

motus voluntarii, uti & sensus, tam externi quam interni; subsistit motus cordis & arteriarum, fit tantum lentior, aequabilior, plenior, pergit omnium humorum distributio, circulatio, vis peristaltica ventriculi, intestinorum, sphincterum, subsistit respiratio quae profundior, lentior, aequabilior fit, fames ipsa & sitis suspenditur. Evigilatur dormiens sensu externo aliquo validè excitato, aut sensu incommodi percepti à stimulo excrementi, vel molestia aliquâ, vel sponte cessat somnus. Evigilans mentis sensim fit compos, palpebras aperit, expandit membra, oscitat, dormitur, sensim sensibus motuque aptus evadit, dein refectis viribus iterum valet & vigilat. Subita vero evigilatio quasi convulsivè fit, & ad exercitium sensus & motus statim disponit, aliquando mentem turbat.

**CCXXIII.** Somno favet quies pacatissimæ mentis, sonus dulcis, otium, silentium, tenebræ. Illum excitant vigilia protracta, laßitudo ex labore diu sustentato, cibi solidiores & tenaciores valido ventriculo ingesti, potus nimius liquoris vegetabilis fermentati, spirituosi, excessus æstus aut frigoris, varia quæ impediunt appulsum sanguinis ad cerebrum, vel retardant transitum ejus per vasa illius, evacuationes nimiæ, pituitosa humorum indoles, obesitas maxima, plethora, constrictio venarum jugularium, vulnera cerebri & compressiones ibi factæ.

**CCXXIV.** Sunt varia medicamenta & venena vegetabilia quæ somnum, aliquando benignum, in majori dosi, cum delirio mortalem inducunt; ita genus solanaceum, belladona, mandragora, hyoscyamus, his præcellit opium; hoc justâ dosi assumptum lætitiam, somnum dulcem, tranquillitatem producit, dolores arcet; nimiâ vero dosi soporem,

vertiginem, stuporem, delirium, convulsiones, paralysem & mortem affert. Sunt aliqui tamen homines qui magnam copiam opii tulerunt imprimis ex consuetudine. Somnum impedit lenta & repetita potatio liquidi calidi, aromatici, stimulantis, nervorum vellitatio dolorifica, fortis affectus animi, curæ graves, cerebri irritatio à causâ quâcumque externâ vel internâ, valida impressio in sensus externos, motus inæqualis sanguinis, febris ardens, & fere ab omnibus morbis suspenditur somnus, uti & à fame.

CCXXV. In eo convenire videntur omnes causæ somni, quòd ab impedito aut retardato motu spirituum pendeant, contrarium verò producant quæ illum arcent. Est itaque somnus ille status medullæ cerebri, in quo nervi non accipiunt à cerebro tam copiosum nec tam fortem influxum spirituum ac requiritur ut organa sensuum & motuum voluntariorum facilè & expeditè suas actiones exercere possint, sive à penuriâ spirituum, sive à compressione corticis cerebri, dum illæ causæ non supprimant functiones vitales. Confirmatur hæc theoria ex causis vigiliarum ablatis, & experimentis supra animalia factis, ex incisione morbis soporosis defunctorum.

CCXXVI. In somno naturali anima nihil cogitat, saltem quod retineatur; non raro tamen representationes excitantur similes illis objectorum externalorum, cum conscientiâ aliquando & maximâ vividitate. Inde somnia quæ observantur in ingeniis vividioribus, in validis affectibus animi, in morbis plurimis & in somno non naturali, vel nimis protracto: non possunt repeti nisi ex vestigiis in cerebro impressis per sensationes prægressas quæ sine voluntatis imperio & tantum ex irregulari sanguinis vel spirituum motu resuscitantur; scilicet dum una pars

cerebri quiescit, altera spiritibus perfluitur & vigilat. Hinc irregularis fit & involuntaria idearum associatio. Cum his perceptionibus aliquando motus voluntarii junguntur, ut loquelae organa, artus ipsi ad nutum illarum perceptionum exactè regantur; inde somnambuli. An ex somniis eventus futuri prædici possint, inquirant stolidi.

**CCXXVII.** Somni effectus est moderamen omnium motuum voluntariorum & animi affectuum. Hinc latus etiam fit pulsus, respiratio rarer, motus peristalticus ventriculi & intestinorum debilitatur, humores lentiùs promoventur, minus excernuntur, succus nutritius faciliùs apponitur, spirituum minuitur consumptio, uti & perspirationis copia, licet augeri possit ex calore. Sensim restituitur liquidum nerveum in nervis exhaustis qui apti fiunt ad sensus & motus exercendos, vigilia restituitur aliquando sponte, frequentius ex occasione datâ, acies judicio, agilitas musculis, vires nervis redeunt. Justo protractior somnus ad omnes effectus lentæ circulationis disponit, obesitatem, somnolentiam, cachexiam, memoria detrimentum & alia damna inducit. Vigiliarum nimiarum effectus sunt oppositi. Uterque status ex temperamento, vel ætate magis vel minus protrahitur.

Unde perennitas motûs cordis & respirationis in somno, deletis sensibus & motibus voluntariis? An in somno revera calor major? Unde omne animal à cibo dormit? Quare protracto diu nimis somno caput grave, sensus hebes, memoria debilis, frigus, obesitas, pondus? Quomodo protractus assiduò somnus diu sustinet vitam sine cibo vel potu? Quomodo agunt narcotica?



## C A P U T X I.

*De actione cutis, seu de transpiratione  
insensibili & sudore.*

CCXXVIII. **T**E GUMENTORUM jam aliquam considerationem præmisimus, ubi tactus organum exploravimus; sed præter hanc sensationem, excretio aliqua in cute perficitur, cuius maxima est in œconomia animali dignitas; transpirationem insensibilem & sudorem dicimus. In integumentis adhuc nascuntur pili, & residet coloris diversitas. Hæc sunt varia phænomena physiologo inquirenda, sed exactiorem requirunt tegumentorum historiam.

CCXXIX. Totam corporis externam superficiem obvolvit cutis densa, firma, sensu exquisito prædita membrana, quæ in cavitates internas etiam continuatur paulatim mutata, textum cellulosum substratum habet in quo adeps majori vel minori copiâ congeritur. In hac telâ cellulosâ subcutaneâ dividuntur arteriæ, venæ & nervi, & multiplicatâ divisione ad omnem cutim sese distribuunt. Cutis superficies innumeris papillis notatur, quæ alibi tenuiores, alibi obtusiores, frequentiores verò in extremis digitis ex medullâ nervorum cum celluloſo textu levissimo & vasculis tenuissimis intertextâ componuntur. Hanc membranam, ubicumque extendit, tegit epidermis fabricâ mirabilis, tenuis, pellucida, sensu expers, fulcis notata, quam plurimi squamosam dicunt: innumeris porulis pertusa est, qui multipli liquori effluxum præbent. Vasa & nervi in illâ non demonstrantur, licet ablata

ablata reperetur. Ipsius originem à vasis, alii à nervis, alii ab indurato reticulo deduxerunt. In palato, lingua, toto systemate cibario tenuior fit, & epithelium dicitur. Variam habet in variis partibus crassitatem. Epidermidis facies interior pulposa, mollis, diversis alveolis ad papillas sensiles cutis fovendas notata est, corpus mucosum dicitur. Varium colorem offert in diversis regionibus, in æthiopibus & aliis plurimis gentibus nigrum, unde nigro colore inficitur epidermis.

**CCXXX.** Causam hujus varietatis inquirunt admodum physici. Bilem accusavit Clariss. Barrere quam profundiùs tintam in his gentibus vidisse dixit. Sanguinem nigritarum & substantiam medullarem cerebri nigrantem vidit Mekel, & post ipsum plures repetunt. Æthiopem animalem finxit Lecat, ex mercurio spirituum & sanguinis sulphure præparatum. Alii varias species hominum admittunt, ita Clariss. Maupertuis ova diversorum colorum in primâ fœminâ supponit. Alii alimenta accusarunt: meliorem fidem merentur illi qui hanc varietatem ab atmospherâ repetunt; quippe in regionibus calidioribus color est profundior, & si non semper in ratione distantiae æquatoris tingatur cutis, aliæ causæ sunt quæ caloris actionem imminuunt; ita Americani minùs nigro colore tinguntur quam æthiopes. Vix credimus tamen in regionibus septentrionalibus nigritas, in regionibus meridionalibus alborum, *albinos* dictorum, gentes reperi. Quomodo verò à calore mutetur humorum idiosyncrasia, ita ut nigro colore inficiatur corpus mucosum, vix possumus dicere, sed afferunt aliqui Europæos in regiones Africanas meridionales translatos æthiopum colorem successu temporum assequi, *Philosophie de la Nat. t. 4. p. 180.* Sed vicissim an æthiopes in Europam translati nigrum colorem successu temporum amittent?

**CCXXXI.** Extremis digitis annexi ungues cornei, insensibiles & absque vasis continuò crescent supra digitos. Per basim verò ad cuticulam quæ supra illorum radices reduplicatur, & cum ipsis continuatur fixi sunt, lunulâ albâ ideo inferiùs notantur. Cutem papillis longitudinalibus notatam tegunt, & ipsis adhærent; extremum digitum sustinent. In cellulosâ telâ cuti subjectâ hærent pilorum radices bulbosæ, spongiosæ, vasculis minimis & nervulis donatæ: duplice vaginam habent, exterior ad porum cutis definit; interior verò porum cutis & cuticulæ penetrat, textum spongiosum medullosum in totâ longitudine continet; ex humore ibi retento continuò crescent & secti renascuntur pili. Varium colorem & variam longitudinem ratione loci, ætatis, regionis, morborum nobis offerunt. Totam integumentorum superficiem & capillorum ortum inungit liquor oleofus, tum ex adipe subcutaneo, tum ex glandulis plurima loca obsidentibus ortus.

**CCXXXII.** Arteriæ quæ ad cutem distribuuntur, maximè divisiæ, ultimis suis finibus, nullâ interpositâ glandulosâ ambage tenuem vaporem continuò exhalant, qui copiâ auctus, & visibilis factus, sudor dicitur. Hunc verum transpirationis insensibilis & sudoris fontem demonstrant injectiones; similem etiam vaporem emittunt pulmones, sed copiosorem. Conveniunt igitur inter se sudor & perspiratio ratione organi, hoc tantum notato discrimine, ut perspiratio ex copiosioribus orificiis tenuior, sudor verò amplioribus orificiis copiosius fluat; huic miscetur liquor glandularum sebaceous & oleum subcutaneum. Absorbentia vasa hic hiare & applicata reducere ad massam humorum, experimenta & plurima phænomena in statu fano & morbo demonstrant.

**CCXXXIII.** Naturam perspirationis aqueam do-

cent experimenta, repercussæ perspirationis in diuresim & diarrhoeam facilis mutatio, potuum calidorum facilis derivatio ad perspirationem; sed aliquid volatile odorum admisceri evincit odor perspirationis aliquando vehementissimus, in canibus sagacitas ad hominum & animalium vestigia distinguenda, aëris corruptio à perspiratione. Cum aquofis alias salinas ad alkalium volatile vergentes, alias varias oleosas & subtilest terrestres ex solidis detritas particulas ad nutritionem ineptas hac viâ eliminari aestimamus. Hinc ab imminutâ vel retentâ perspiratione, multiplices morbi acuti & chronicus frequentissimi, præcipue in hominibus minus exercitatis, multum tamen potest consuetudo & idiosyncrasia. Sudoris naturam evidenter falsam & acrimoniam demonstrat odor & sapor, & ipsius excretio semper præternaturalis est, à statu fano absens, quæ tamen in morbis magnum levamen aliquando præstat, præcipue si per vires naturæ criticas excitetur; aliquando & valde nocet difflando tenuiora, vel ubi per calidiora remedia promovetur.

**CCXXXIV.** Copia perspirantis liquidi in statu fano insignis admodum est, ita ut ex octo libris alimentorum & potūs, quinque per insensibilem transpirationem abeant. Imò longè majorem esse exhalationem adhuc constabit, si ad ea quæ per inhalationem ex atmospherâ eruuntur, attendamus. Multum tamen hic possunt variæ conditiones aëris, ætatis, temperamenti, distantiae à pastu, motūs & quietis, somni & vigiliæ, & aliarum plurimarum vitæ conditionum.

**CCXXXV.** Causæ humorem perspirabilem & sudorem emittentes præcipue sunt circulatio humorum & aëris corpus ambiens. Pro variâ quippe cordis & arteriarum vi, sanguis & humores ad superficiem corporis magis vel minus deducuntur, pro vario atmos-

pheræ statu laxantur & aperiuntur, vel clauduntur & constringuntur oscula exhalantia. Actionem adhuc aliquam organicam in integumentis ad mechanismum hujus secretionis admittere plurima phænomena cogunt. Perspirationem juvant motus corporis & humorum æquabilis, frictio, balneum, cibi facile digerendi, potus tenuis, aquosus, imprimis calidus, somnus tranquillus, stragula & vestimenta accommodata, omnis gratus animi affectus, aër serenus & siccus. Impediunt causæ contrariæ, præcipue aër frigidus & humidus, si calido succedat.

**CCXXXVI.** Moderata quæ naturalis est perspiratio sanitatem conservat, & salubris est hæc evacuatio, 1.º si fuerit humor tenuissimus, sub halitū insensibilis formâ evaporandus absque sudore. Hinc qui sudorem ex eo quod levamen interdum afferat, corpus semper juvare, & provocandum esse ubique existimant, ex hypothesi, corpori sæpius noxam inferunt. 2.º Si fuerit in eâ quantitate quâ corpus reducatur ad solitum pondus; si verò parcior hujus humoris quantitas evacuatur, quām ad conservandam sanitatem requiritur, imminuta dicitur perspiratio, morborum varii generis & mortis causa frequentissima.

## C A P U T XII.

*De secrezione adipis, medullæ ossium  
& unguinis articulorum.*

**CCXXXVII.** IN textu celluloso cuti substrato & partibus contiguis ubicunque interposito, depositur liquor oleosus per frigus concrescens, in juniori

mucosus, solidior in herbivoris quam in carnivoris, majori vel minori copia congeritur, aliqua loca præcipue occupat, uti docet anatomia, in aliis locis nullus est & corporis volumen aliquando maximè auget. Oleosam indolem habet, & distillatus acidam quamdam portionem fundit. In cellulofam tunicam per poros invisibiles, injectionibus tamen tenuioribus transitum concedentes, absque glandulis, neque vasis secretoriis sensibilibus ibi deponitur quasi per transudationem, dein per vasa venosa ibi patentia & per cellulofum textum decurrentia resorbetur. Si verò plus oleosi hujus liquoris secernitur quam quod à reducentibus vasis resorberi possit, pinguedo augetur. Si plus resorbetur quam secernitur, illa imminuitur: ita per inediam, per motum, aut aliam quamcumque causam. Quies animi & corporis ipsius congestioni favet, præcipue in temperamento phlegmatico vel sanguineo, per morbos & curas, in temperamento cholericico & melancholico e contrà impeditur.

**CCXXXVIII.** Adipis utilitates sunt, uti & textūs cellulosi, partes vicinas separare, ipsarum mobilitatem & mollitatem conservare, corpus à compressione externâ defendere: pulchritudinem adhuc conciliat, an alit resorptus? An ipsius refusio in sanguinem aliam adhuc utilitatem non habeat vel universalem, vel aliquibus organis propriam vix dicere possumus, sed nullum tam amplum datur in corpore animali organum secretorum ac textus cellulofus.

Similis adipi, in ossium cavis, adhuc deponitur succus qui medulla dicitur, in textu cellulofo tenuissimo vasculis minimis picto congeritur, laminas osseas penetrat, & ipsis firmitatem conciliat, à siccitate & rigiditate defendens.

Ossium mobilium articulos varia ligamenta ambiunt; illorum superficiem tum & cartilaginum oblitus liquor viscosus ex extremis arteriolis depluens. Præterea exsudat aliis viscidior unctuosus ex glandulis articulos ambientibus, tum & transfludat succi medullaris portio. Hi liquores unguen articulorum constituant quod ad lubricanda ossium capitula, cartilagine & ligamenta inservit, ut debita subsistat flexilitas, & ita ab ariditate vel attritu defendantur articuli. Per vasa resorbentia, resorbentur illi liquores. Variis vitiis aliquando afficiuntur, & inde plurimi morbi difficiles nascuntur.

## C A P U T   X I I I .

*De secretione & excretione urinæ.*

**C C X X X I X .** **R**ENES sunt duo viscera glandulosa, retrò peritoneum posita, ex utroque latere columnæ vertebrarum, incumbunt septo transverso, musculis psoæ & quadrato, costisque tribus vel duabus imis insident, ita ut dexter parum humiliori loco sit quam sinister. Profundè reconditur dexter retrò hepar, duodenum & colon, sinister verò habet incumbentem lienem & pancreas & his impositum ventriculum cum colo. Figuram phaseoli referunt, ita ut margo externus sit convexus, depresso vero qui ad columnam vertebrarum spectat. Textu cellulari copioso ambiuntur qui magnam pinguedinis copiam habet; membranâ externâ firmâ & adhærente teguntur. Triplicem in rene substantiam distingunt anatomici, unam exteriorem rubellam, corticalem

dixerunt vulgo, ferè totam vasculosam demonstrarunt injectiones, siquidem impulsos liquores transmittit. Tenuiora alba vascula vident & descripsit Clar. Ferrein, *Mém. de l' Académie* 1749. quæ vascula nihil videntur esse nisi arteriæ minimæ. Ex ambitu substantiæ corticalis nascitur substantia medullaris, striata, ex vasculis quæ sunt substantiæ corticalis continuatio constans. Hæc vascula urinifera convergunt sensim & colliguntur in aliquas papillas, plurimis poris qui sunt vasorum hiantium oscula pertusas; numero sunt duodecim aut circiter.

CCXL. Circa quamlibet eminentem hujusmodi papillam, membraneum involucrum laxum ampliori spatio ita adnascitur, ut in cavum hujus cylindrici infundibuli tubum papilla extillet. Hi tubi confluunt bini vel terni cum sui similibus, & nascuntur eâ ratione tres trunci qui & ipsi, sed extra renem in unum conicum canalem uniuntur qui pelvis dicitur. Secundum longitudinem renis disposita est hæc pelvis, & sensim diminuta in cylindricum canalem contrahitur qui ureter est, canalis nempe membranaceus à pelvi renis ad vesicæ partem inferiorem extensus. Varias in illis canalibus tunicas describunt anatomici minus distinctas. Retrò peritoneum descendunt ureteres ponè vasa spermatica, supra vasa iliaca transseunt, & ad partem inferiorem vesicæ deveniunt, ubi repentes intra ejus tunicas, obliquè aperiuntur in ipsius cavitate absque valvula.

CCXLI. Vasa renum amplissima sunt. Arteriæ ab aortâ sub mesentericâ exeunt ex utroque latere ad angulum rectum, sinistra brevior, dextra longior est, & renem ingrediuntur per fissuram. Ex eâdem fissurâ egrediuntur venæ amplæ & ad venam cavam, cum ramis aliquibus vicinis perveniunt. Limphatica

vasa in ambitu renum adhuc detexerunt anatomici. Nervi renales multi sunt, à plexu oriuntur insigni quem rami ganglii magni semilunaris generant, conjuncti cum ramis ab intercostali trunco ex ipso thorace venientibus. Cum arteriâ & venâ emulgente per fissuram renalem subeunt.

**CCXLII.** Hæc omnia vasa cælulosâ vaginâ cincta, solitis divisionibus renum substantiæ corticali prospiciunt, & huc sanguinem adducunt. Ex ultimis arteriarum finibus serpentinis emergunt tubuli exigui qui ex ambitu renum versùs centrum adducti & fasciculatim congesti, interiorem fistulosam renum substantiam constituunt, urinam ad papillas ducunt, unde in infundibula, pelvem & ureteres stillat. Sanguinem residuum à secretione revehunt venæ. Hic est modus secretionis, ad quam non existunt folliculi. Transitus sanguinis ex arteriis renalibus in venas & in ductus secretorios expeditum esse demonstrat facilitas quâ aqua, cera, aër ab arteriis ad venas & ad ureteres defertur. Hinc adeò facile ipse crux per eas fistulas in variis morbis urgetur, laxitas verò morbosa adipem verum, lac, chilum ipsum transmittit.

**CCXLIII.** Vesica urinaria est receptaculum membranaceum, in pelvi retrò ossa pubis situm, extrà peritoneum, copioso textu cellulari circumducitur, cuius ope partibus vicinis adhæret, intestino recto in masculis insidet, & in illâ facie posticâ annexas habet vesiculos feminales, utero insidet in fœminis. Figura ovalis est in adulto, variâ capacitate donatur. In foetu longâ se effert supra ossa pubis. Textu celluloſo anteriùs, posteriùs, à peritoneo tegitur. Huic textui celluloſo subjacet textus alius musculosus ex fibris reticulatis compositus quo involvitur foccus membranaceus vesicam constituens in plures laminas divisibilis

cujus superficies interna mucositate copiosâ obducta est, ad defendendos parietes. In parte inferiori notatur eminentia triangularis pulposa *Trigone* dicta à Clariss. *Lieutaud*; hac eminentiâ partim clauditur orificium vesicæ.

**CCXLIV.** Ex vesicæ parte supernâ protenditur canalis ad umbilicum, in adulto deletus, urachum dicunt, de cuius utilitate in posterum erit sermo; aliud verò est orificium in parte inferiori majoris usûs: nempe continuatur pars inferior vesicæ in canalem angustiorem seu urethram quæ inter crura discedentia ossium pubis fertur, & ad eorum simphism ascendit, secundùm longitudinem penis extenditur in masculo, brevior est in fœminâ. Huic orificio sphincterem proprium plurimi concedebant, sed tantùm huc usque procedere levatorem ani, & collum vesicæ includere docuit *Morgagnus* qui pseudo sphincterem vesicæ dixit: occlusionem orificii vesicæ adjuvat cuim elasticitate ipsius colli. Ita in canaleri membranosum via est aperta, seu in urethram, quam alias describemus.

**CCXLV.** Urina in solis renibus secernitur: in ipso sanguine parari urinam aliqui credunt, & referunt ligatis vel obstructis arteriis renalibus, urinâ infici massam sanguineam; sub suâ formâ tamen in sanguine jam existere non credimus. In renibus præparatur, & secreta per uretheres perpetuo filo sensim defluit in variâ copiâ, pro diversis circumstantiis. Neque aliâ viâ urinam advenire credimus, licet aliqui à ventriculo vel intestinis ad vesicam vias supposuerint, alii poros resorbentes attulerint, alii corpora crassiora deglutita emuncta observarint. Amplitudo verò vasorum renalium demonstrat magnam sanguinis partem ad renes devenire, & ibi celerrimè percolari. Denique certum est perire animalia quibus ureteres ligati, vel obstructi

sunt, neque tunc in vesicâ urinam reperiri. Mora verò in vesicâ erat necessaria, ut continua non adsit mictio; hanc impediunt pseudosphincter vesicæ, & orificii vis contractilis tonica ponderi non cedens; favet disposicio vesicæ ad posteriora urgens pondus urinæ, nisi in majori copiâ colligatur.

**CCXLVI.** Fit mictio, ubi in sufficienti quantitate collecta urina, vel per acredinem fibras vesicæ stimulat, vel ubi ipsæ fibræ ob copiam elongatæ & distractæ ad nisum contractilem coguntur, si ultra tonum non extensæ fuerint. Per inspirationem etiam comprimitur fundus vesicæ, unde superatur obex pseudosphincteris, effluit lotium eò celerius quòd ex ampliori spatio in angustius transeat, quo usque evacuetur vesica, nisi obstet laxitas fibrarum, vel alijs adsit obex. Ultimas guttulas ex urethrâ exprimunt acceleratores. Hunc liquorem minus retinent infantes ex laxitate, adulti ex calculo aut paralyssi, vel aliâ hujus orificii affectione.

**CCXLVII.** Nunc supereft exponenda natura illius liquidi ibi secreti quam nondum benè assequi potuerunt Chimici. In statu fano colorem citrinum limpidum habet. Alimentorum & potulentorum qualitates aliquando refert, recens nec ad acidum, nec ad alkalium vergit, sed asservata citissimè putreficit; sibi relicta urina spissescit, portionem aliquam terream sub formâ crustæ lapideæ magis vel minus copiosæ ad vasorum parietes deponit. Quâ proportione evaporatur urina, spissescit magis, fuscum colorem, odorem putridum acquirit. Ubi ad tremoris consistentiam pervenit, si frigido loco reponatur, ut facilior fiat crystallatio, plura salia obtinemus. Primum prodit sal neutrum peculiaris cuiusdam naturæ, sal nativum, sal fusibile urinæ dicitur. Ammoniacalem indolem habet, siquidem ex alkali volatili & acido proprio conflatur;

non tamen à putredine nascitur, nam recens urina ope alkali fixi alkali volatile emittit. Acidum hujus salis phlogisto unitum phosphorum efformat. Si ulterius urgeatur crystallisatio, alia adhuc salia ex urinâ eruuntur ad sal glauberi & sal marinum accedentia.

**CCXLVIII.** Urina igni sensim augendo exposita maximam præbet aquæ copiam quam ad  $\frac{19}{20}$  estimant & ulterius urgent. Reliqua urina melluginis spissitatem induens, amara est & acris; salia modò dicta per crystallisationem præbet: igni exposita, ascendit liquor oleosus, acris, alkalinae indolis, spiritus urinæ dicitur. Hanc sequitur sal volatilis alkalinus vasis parietibus adhærens; succedit & partim comitatur oleum primò tenue, flavum, dein spissescens, nigrum, fœtidum, empireumaticum. Tunc si intensissimo igne urgeatur, erumpunt fumi subcærulei qui in aquâ recepti coguntur, & in glaciale aliquid abeunt quod siccum, continuò ignem ambusturum omnia concipit, nisi in aquâ conservetur, phosphorum dicunt. His eductis, manet in imo vase portio sicca terrea, carbo nempe aliquam salis marini copiam adhuc habens. Horum urinæ contentorum ratio variat relatè ad sexum, ætatem, temperamentum, &c.

**CCXLIX.** Est itaque urina serum massæ sanguineæ superfluum, trans corticem renum secretum, quod particulas acres, salinas, oleofas, terreas, attritas cum magnâ seri copiâ è corpore eliminat. Aërem cum aliis elementis minus cohærentem existere probat spumescientia, facilior & citior bullarum eruptio in vacuo Boileano quam ex alio quocumque liquore humano. Ex his intelliguntur incommoda quæ à retentâ urinâ eveniunt, cur facile in calculum concrescat, quænam judicia in morbis ex inspectione

urinæ fint haurienda. Ab acrimoniâ vesicam defendit mucus parietes continuò obungens & in cryptis secretus.

---

## C A P U T X I V.

### *De actione capsularum renalium.*

**CCL.** **P**ARTI superiori renis utriusque insidet glandula conglomerati generis, triangularis, compressa, cavitatem aliquam minorem in centro gerens. Hæc organa quorum diameter vix ad binos pollices accedit, ope textûs cellulosi copiâ pinguedinis referti, renibus, viciniорibusque partibus adhærent. Substantiam mollem & vasculosam ex lobulis factam exhibent. Arterias accipiunt à phrenicâ & ab aortâ, ad cavam tendunt venæ congeneres, nervi ab intercostali procedunt. Nullum ductum excretorium in his glandulis detexit anatomia, licet in earum cavo observetur quidam succus atoluteus à spiritu vini coagulabilis, unde capsulæ atrabilariæ dicuntur. Amplæ sunt & turgidae admodum in fœtu, exsuccæ in adulto; renes e contrâ minores sunt in fœtu, itaut ipsorum volumen tunc capsulas superet valdè.

**CCLI.** Ubi utilitatem & actionem harum glandularum determinare tentant physiologi, dubii admodum hærent. Ad generationem pertinere dixerunt aliqui; alii succum lymphaticum, alii urinosum, alii pinguem, alii atram bilem ibi secerni dixerunt. Alii huc derivari sanguinem, ne renes in fœtu cruce obruantur, crediderunt. Succum acrem ibi parari, ad diluendum vel dissolvendum sanguinem venæ cavæ

ex omnibus corporis partibus reducem, fluidioribus partibus exhaustum, & inde ad præcavendam molecularum concretionem inservire proposuit Clariss. *Lieutaud.* Hoc suadet bilis analogia & actio, tūm canalis excretorii absentia; tamen attenuandi sanguinis vix aliqua videtur necessitas, cum via sit brevissima usque ad cor. Potiorem hujus organi functionem in fœtu suadet anatomia, ubi renes minimum volumen habent. An tunc renibus supplent? Ita suspicatur Doctissimus *Portal.* *Anatom. de Lieutaud,* tom. 2, p. 271.

## C A P U T X V.

*De parotidibus & aliis glandulis salivalibus.*

**CCLII.** IN ambitu oris plures glandulæ occurunt, quæ suum liquorem in hanc cavitatem deponunt, salivales dicuntur. Præcipua est parotis, glandula conglomerati generis, replens intervallum meatūs auditorii & maxillæ, tegensque nudam maxillam & partem masseteris. Ex plurimis acinis cellulosâ conjunctis componitur quæ densius irretita, universale quoddam firmius involucrum toti supersternit glandulæ. Ex acinis illis ductus peculiares in unum crassiorem communem Stenonianum dictum confluunt, qui circa tertium dentem molarem superiorem in ore aperitur. Ab arteriâ temporali & aliis arteriis faciei rāmulos habet parotis; venæ ad congeneres tendunt. Nervi à portione durâ septimi paris, & à maxillari inferiori provenientes hanc glandulam quasi absque ramis pe-


netrant. Multitudo arteriarum & glandulæ moles faciunt ut princeps hic sit salivæ fons.

**CCLIII.** Altera glandula parotide minor, angulo maxillæ inferioris ex utroque latere adsidet, maxillaris dicitur, parotidi omnino similis, molioribus nisi facta acinis, salivam etiam ab arterioso sanguine separat, in ductum excretorium Warthonianum dictum immittit, qui prope frenum linguæ aperitur. Proximi illis & earum quasi appendices sunt sublinguales Rivinianæ vel Bartholinianæ dictæ, acinosæ, minores, substratæ oris membranæ, ad latera ductuum Warthonianorum pluribus osculis patent. Molares ultimis dentibus molaribus adsident, una est palatina notabilior. Aliis glandulis salivalibus minoribus innumeris solitariis obsitæ sunt variæ oris interni partes, & ideo buccales, labiales, orales, linguaes dicuntur; per brevem ductulum liquorem proprium effundunt. Inter columnas veli palatini adsident adhuc glandulæ amygdalæ dictæ, quæ liquorem proprium eructant, ex poris in ipsarum superficie patulis.

**CCLIV.** Saliva in his glandulis secreta, est humor aquosus pellucidus, evaporabilis, insipidus, conquaaffatus tenaciter spumescens, esurienti copiosior, fluidior, acrior, vegetantibus farinosis fermentationem concilians, neque acidam, neque alkalinam habet indolem; per analysim verò chemicam præbet ærem, aquam, lixiviosum liquorem, oleum & terram; non raro in lapillos concrescit. Quantitatatem excretionis quam præbent hæ glandulæ vix justè estimari credimus, cum ratione plurium circumstantiarum variare possint. Tamen hanc copiosam docent vulnera & varia experienta; in morbis verò & per mercurium aliquando valdoperè augetur: copiosior effluit in tempore masticationis, & ad plures uncias in prandio vidit Clavig.

*Helvetius.* Spirituum animalium magnâ copiâ imbui salivam arguunt benè perspecta digestionum phænomena , ac præsertim stupendi effectus quos exerit hic latex sub morsu variorum animalium , tum rabidorum , tum irâ percitorum , qui solo spirituum vitio lethalis fit. Salivæ parotidum analoga est illa maxillarium , sublingualium. Ex glandulis palati , uvulæ , ex amigdalis similis adhuc , sed magis mucosus humor continuò effluit vias lubricans. Cur in rabie saliva venenatam indolem contrahit , & virus rabiosum communicat si vasis apertis instilletur ? Unde actio mercurii specifica in hæc organa. ?

CCL V. Causam excretionis multiplicis illius liquoris , à compressione quam supra illas glandulas agunt musculi vicini , repetunt Mechanici : sed si ad verum situm , & ad actionem ipsarum glandularum attendamus , tum ad compressionis à partibus vicinis effectus per experimenta demonstratos , fatebimur cum Clariss. *de Bordeu* nullâ pressione mechanicâ indigere ad suam actionem has glandulas , sed ipsas innatâ & naturali vi organicâ agere , vel à stimulo irritatas in certis circumstantiis confluere majori copiâ , uti à cupidine venerea semen ad vesiculas semifinales secernitur. Aliquas tamen motitationes conciliare partes vicinas non negamus. Naturam hujus liquidi salivalis mucosam & saponeam in posterūm declarabimus , & utilitates in chymificatione exponemus.



## C A P U T   X V I.

*De peritoneo & omento.*

**CCLVI.** **S**acco communi membranaceo includuntur omnia viscera abdominis digestioni inservientia: peritoneum dicitur, extus cellulosum, intus verò superficiem levem & politam, continuò rore lymphatico humidam offert qui ex poris exhalantibus defluens, vicinarum partium concretionem impedit, ac per poros re-sorbentes resumitur. Varias peritonei duplicaturas & prolongationes quas visceribus omnibus chilopoieticis pro tunicis præbet, doceat anatome. Usus ex dictis facilè intelligitur: notandum verò inter ipsius prolongationes venit omentum seu epiploon.

**CCLVII.** Hoc nomine designatur appendix membranaceus, diversi voluminis, magnæ curvaturæ ventriculi adhærens inferiùs, liberè fluctuans supra intestina, circiter ad regionem usque umbilicalem extensus, superiùs ventriculo, colo, lieni, pancreati & partibus vicinis annexus. Duabus tunicis tenuissimis constat quibus textus cellulosus laxus interjacet, vasis & adipem magis copiosè infarctus, vasa arteriosa ab arteriâ splenica & arteriâ hepaticâ habet. Venæ ad venam portarum confluunt. In suis cellulis, per vasa propria hiantia deponitur in majori vel minori copiâ adeps. Inde utilitas hujus appendicis eruitur. Quippe intestinis & peritoneo interpositus, frictiones minuit, mobilitatem servat, vapore suo exhalante viscera omnia inungit, & lubricat, concretionem vicinorum prohibet. Cum ipso convenienter appendices epiploicæ in tractu intestinorum

norum crassorum notandæ, tum & mesenterii fabrica celluloſo adipofa. An ſanguini venæ portarum miſceatur adeps hic ſecretus ad compositionem bilis, in posterū dicemus.

## C A P U T XVII.

*De actione pancreatis.*

CCLVIII. **S**UB ventriculo, mesocolo innixa, & in ipsius caveâ hæret glandula quæ dicitur pancreas qui transversaliter poſitus columnæ vertebrarum in- cumbit, & à primâ curvaturâ duodeni ad lienem uſque extenditur ſenſim anguſtior factus; arterias præcipuas à ſplenicâ habet, nonnullæ aliæ minores ab hepaticâ, gaſtricâ vel meſentericâ ſuperiori accedunt. Venæ ad ſplenicam & ad meſentericam ſuperiorem confluunt. Nervi à plexu ſplenico & meſenterico ſuperiori procedunt.

CCLIX. Si intimam pancreatis ſtructuram rime- mur per injectiones & macerationem, veram cum illâ glandularum ſalivalium analogiam reperimus. To- tum fit ex lobis qui ipſi ex lobulis componuntur, & in acinos minores diſcedunt per textum cellulosum uni- tos. Illi acini ex vafis modò diſtis & nervis cum textu celluloſo junctis componuntur. Tenuem canalem unuſ- quisque acinus emittit, illi verò ſenſim ac ſenſim invicem in alios uniuntur, & omnes in unum præci- puum confluunt in centro glandulæ occurrentem qui à *Virfungo* detectus fuit, per longitudinem pancreatis excurrens, ostio ſuo, aliquando dupli, cum chole- docho in primam curvaturam duodeni inſeritur.

CCLX. Per hunc canalem sat magnâ copia, uti *Graafii* experimenta demonstrarunt, & docet comparatio ad parotides, ad duodenum affluit succus peculiaris. Acidam indolem ipsi ex hypothesi concedebant *Sylvius* & *Graafius*, sed hæc figmenta destruxerunt *Brunneri* & aliorum experimenta, ita ut jam notum sit ibi secerni succum saponaceum, levem, tenuem, salivæ omnino analogum, continuo affluentem ad primam curvaturam duodeni, ubi miscetur cum bile & alimentis ad chilificationem peragendam.

CCLXI. Causam exprimentem hunc liquorem à pressione ventriculi & diaphragmatis ac partium vicinarum vulgo repetunt physiologi, sed exactior situs hujus glandulæ disquisitio, pressionis effectus, & aliquorum animalium inspectio, in quibus à ventriculo distat pancreatis portio, hanc hypothesisim omnino destruunt. (*Bordeu recherches sur les glandes p. 205.*) ita ut actionem organicam huic glandulæ, uti aliis propriam, admittere debeamus.

---

## C A P U T XVIII.

### *De actione lienis.*

CCLXII. LIEN in superiori & sinistrâ abdominis parte situs, est viscus molle atro rubens, peritoneo inclusum, à diaphragmate pendulum, ipsius alternis motibus exponitur; ventriculo tamen, omento, reni ejusdem lateris & costis spuriis adhæret. Situs variabilis est propter adhæsionem ad ventriculum; figuram adhuc mutabilem habet, ut plurimum tamen oblongam, in margine sæpe incisam. Duplex facies distin-

guitur : una ad costas applicatur convexa, altera ventriculum spectans quæ cava est & sinuosa. Moles etiam pro diversis circumstantiis varia reperitur ; amplior nempe , ubi vacuus est ventriculus , turgente e contrà ventriculo minor , uti notavit Clariss. Lieutaud.

**CCLXIII.** Vasa magna lien habet , pro ratione sui ponderis. Sanguinem affert arteria splenica quæ ex cæliacâ prodiens , retrò pancreas serpentino flexu migrat , & datis aliquibus rami minoribus ad partes vicinas , lienem in sinu suo intrat , & in multos ramos se dividit. Vena sœcia mollis & ampla ad venam portarum cuius princeps est trunçus tendit. Brevia adhuc vasa venosa sanguinem ex ventriculo ad lienem ducunt. Nervi lienis exigui sunt , oriuntur à plexu peculiari quem efformant octavum par & magnus intercostalis : rami nonnulli cum arteriâ splenica sinuosa lienis partem subeunt. Totam molem lienis extus ambit tunica quæ à peritoneo procedit , altera strictior lieni propria textui interiori est continua. Non desunt vasa lymphatica quæ circa sanguifera & in ambitu lienis ludunt , in ductus chiliferos terminatura.


**CCLXIV.** De genuinâ lienis fabricâ nondum benè constat inter anatomicos. Glandulas folliculosas cum textu celluloſo videbat *Malpighius* ; folam vasculosam structuram admittebat *Ruischius* suis injectionibus edoctus. Si verò autopsiæ anatomicæ fidamus , totum esse pulposum & spongiosum illud viscus conflatum ex textu cellulari , arterias & venas in furculos confertim productos divisos habente experiemur. Si enim aér per vasa sanguinea in lienem insufflatur , ultra modum intumescit hoc viscus , si insufflatum exsiccatur , & accuratori examini subjicitur , variæ conspicuæ occurunt cellulæ inter se communicantes. Hæ cellulæ excipiunt ultimas arteriarum propagines :

an in illas sanguinem fundant dein ingressurum hiantia venarum oscula, pronunciatur difficile est. Sanguine equidem turgidæ apparent, & ex illis per macerationem expellitur, sed cera per arteriam lienalem injecta facilimè in venas transit, difficilius in cellulas effunditur. Vasorum fasciculos utcumque subrotundos, penicilli figuram habentes, pro glandulis Malpighiani habuerunt. Acinos adhuc pulposos inter arterias & venas vidisse refert Clariss. *de Lafone Mem. de l' Acad.* 1764. Nihil nisi vasculosum vedit in cellularum parietibus Doctiss. *Lobstein* Professor Argentinensis *de liene* 1774, arterias cum venis numerosioribus in osculatas & continuas perspexit; penicillum quod vedit *Ruischius* est omnino vasculosum, nullus sanguis in cellulas effunditur.

CCLXV. De lienis fabricâ dissentientes autores, acrius circà usum adhuc disputant, nec feliori successu. Nonnulli pro inutili & superfluo viscere, sive pro errore naturæ habent, hisce adducti rationibus, quod, salvâ vitâ excindi possit; narrantur enim historiæ quæ testantur sublato liene animal & hominem ipsum non semper perire, sed digestionem inde langescere. Alii ad equilibrium duntaxat esse paratum putant. Apud plures, atræ bilis, sive melancoliae receptaculum audit. Multi genuinum esse fermenti cuiusdam acidi incerniculum, ad digestionem alimentorum promovendam asserunt, Sunt qui lienem pro fonte sinoviæ articulorum assignant; alii sanguinem ibi lentescere & inspissari volunt. Alii e contrâ resolvi & putrescere contendunt, sed non differt sanguis venæ cavæ ab illo venæ lienalis, *Lobstein* l. c. Attenuari sanguinem lienis, spiritibus divitem fieri, lymphâ in glandulis minimis præparatâ dilui voluit *Boerhavius*. Absentia ductûs excretorii fecit ut omni

tempore de hujus visceris functionibus pugnatum sit,  
& ridicula commenta allata fuerint. Quid doceat  
natura exponemus.

CCLXVI. Sanguis multis in lienem fertur, arteriam & extremitatum retia progreditur : visceris hujus mollissimi textus eo imbuitur, sanguis lentè fluxus congeritur ; ibi resolvi, attenuari, putredinis quoddam initium induere, cum *Hallero* tamen non credimus : sed congestus ibi sanguis, ad magnam utilitatem in certis circumstantiis dein expellitur ; forsan aliquas mutationes nondum notas ibi subit. Autopsia verò anatomica demonstrat variare admodum lienis molem pro distentione ventriculi : hujus differentiae voluminis causam eruit Clariss. *Lieutaud* ex situ lienis inter ventriculum & costas, ita ut à tumente ventriculo in angustum spatiū comprimatur lien, amplietur verò ipsius moles, ubi vacuus est ventriculus. Hinc, si ipsi credamus, turgente ventriculo eduliis, crux hospitans ex lienis cellulis exprimitur, per venam splenicam ad hepar promovetur, copiosiorque fit bilis secretio, ubi magno hujus proventu indiget chili elaboratio. Fateamur tamen multa de hac compressione mechanicâ superesse dubia, propter recessum profundum lienis & elevationem ventriculi, dum turget, tum & molliet eisdem & varia observata à Clariss. *de Bordeu* allata *Recherches sur les glandes*. Hinc distenso ventriculo, majorem sanguinis copiam accipere & actione suâ organicâ in tempore digestio- nis ad hepar mittere lienem aestimamus, multaque suadent. Igitur ad secretionem bilis magis vel minus copiosam conferre videtur.



## C A P U T X I X.

*De actione hepatis & vesiculae felleæ.*

CCLXVII. **H**E PAR est viscus soliditate & mole conspicuum, colorem obscurè nigrum referens, in hypocondrio dextro situm, parte externâ convexâ diaphragmati contiguum: membranâ tenui obducitur quæ est peritonæi continuatio, in varios processus extenditur. Illi quibus hepar ad varias vicinas partes connectitur, ligamenta dicuntur. Unum præcipuum anterius, ligamentum suspensorium, fissuræ magnæ insculptum est; in illo continebatur vena umbilicalis quæ ligamentum refert in adulto. Duplex adhuc est ligamentum præter superius coronarium, unum dextrum, alterum sinistrum. Totâ suâ facie inferiori cavâ, inæquali, insidet duodeno, colo, ventriculo, pancreati, capsulæ renali dextræ. Per magnam fissuram in duos lobos dividitur, quorum unus dexter amplior, interiori cavâ facie colo & reni dextro respondet, lobus sinistér minor latissimè ventriculo imponitur, ad epigastrium, aliquando ad hypocondrium sinistrum extenditur: figura hepatis dictu difficilis ex inspectione repetenda est, inæqualis enim marginem inferiorem habet acutum, superiorem obtusum & rotundum; unam habet eminentiam figuræ ad pyramidalem accendentis, lobulus dicitur. Notanda est etiam depresso quam portam dixerunt veteres, alia pro transitu ductûs venosi, & una posterior pro transitu venæ cavæ quæ hepatis carne protegitur, ubi ex pectori per diaphragma exit.

CCLXVIII. Hoc ampliū viscus magnam copiam vasorum habet. Arteria hepatica quae est dexter cœliacæ ramus ad hepar per depressionem portarum venit, & illius substantiam totam divisionibus perambulat. Ad hepar sanguinem adhuc affert vena portarum cuius singularis apparatus nunc exponendus venit. Ad viscerum abdominalium magnam partem, scilicet ad lienem, ventriculum, omentum, pancreas, omnia intestina, mesenterium sanguinem afferunt cœliaca in tres ramos divisa & mesenterica utraque, superior & inferior. Sanguis ex his visceribus redux non ad venam cavam, lege communi, sed ad hepar tendit; omnes nempe illæ venæ in unum truncum confluentes, sinum venæ portarum constituunt, qui in ramos divisus per hepatis substantiam defertur iterum divisus & subdivisus in minima usque capillamenta. Has divisiones comitantur similes arteriæ hepaticæ venæ portarum rami. Illum excipiunt venæ hepaticæ numero plures, quæ tendunt in venæ cavæ truncum propè diaphragma.

CCLXIX. Nervi ex intercostali magno & octavo pari non magnâ copiâ ad hepar veniunt, & plexum peculiarem efformant qui arteriam hepaticam reticuli instar amplectitur ejus divaricationes sectans, toti hepati prospicit. Ex omni hepatis substantiâ redeunt sublutei tubuli, minores, pori biliarii dicuntur qui retrocurrendo coëunt in crassiores sensim ductus, tandem in vas secretorium crassiusculum abeunt quod ex hepatis substantiâ inter portas exit. Ductus hepaticus dicitur: In utrâque hepatis facie numerosa perreptant vasa lymphatica, per simplicem ligaturam visibilia, in venæ portæ truncum abeunt, vel in cisternam chili: vasa descripta ad hepar tendentia, & ex ipso regredientia, arteriam scilicet hepaticam,

venam portarum, nervos, ductum hepaticum & cysticum involvit cellulosa peritonei propago.

CCLXX. Sanguinem ab omnibus partibus dictis (268) ad hepar venire demonstrat vinculum, quo venæ inter eas partes & hepar tument; vena verò portarum detumescit & inanitur. Per hepar ad venam cavam ferri docet injectio anatomica quæ viam liberam inter venam portarum & cavam demonstrat: interim difficultas in distributione venæ portarum, cum à corde adeò remota sit, & natura sanguinis, faciunt ut non alibi facilis stagnet sanguis, congeratur & obstrukciones nascantur; periculum minuit copia vasorum lymphaticorum, motus muscularis, respiratio; augent quies, inertia, cibi crudi, viscidi.

CCLXXI. Si nunc interiorem hepatis fabricam rimemur, reperimus hæc omnia vasa, arteriam scilicet hepaticam, venam portarum, nervos, ductum hepaticum easdem in hepate divisiones habere, adeo ut simili passu excurrendo parallelam divisionem prosequantur vaginâ cellulosa strictâ & solidâ semper unita. Ultimi tandem ramuli terminantur in acinos qui nihil aliud sunt nisi fasciculi horum omnis generis vasorum & in quibus anastomoses mutuae sunt ramorum venæ portarum & arteriæ hepaticæ cum venis hepaticis, & cum poris biliaris; liquores enim in venam portarum injecti in ductum hepaticum perveniunt. Ex arteriâ hepaticâ & ex venâ portarum in arteriam hepaticam anastomoses injectionibus etiam demonstrantur, uti inter ductus biliaris & venam cavam; tandem inter eadem vasa & vasa lymphatica, & ex iis in cellulosa telam communicationes non deficiunt.

CCLXXII. Acinos totam substantiam hepatis

componentes cavos esse, & ab arteriis venisque exteriorum eorum superficiem perreptari, bilem vero secretam a venae portarum furculis in eorum caveam deponi, Malpighiani docuerunt. Argumenta attulerunt ex anatome animalium in quorum jecore, acini sunt rotundi, evidentes, ex morbis qui cellulas & rotunda tubercula demonstrant. Addi potest lensor bilis muco satis affinis, sed accuratior anatome tales non admittit folliculos, ii enim interrumperent iter ceræ anatomicæ & nodulos efficerent medios inter ea vascula porosque biliarios, cum tamen cera continuo filo illa vasa transgrediatur. Nimia longitudo vasorum biliariorum non videtur glaudulosam fabricam permittere in sensu Malpighiano. Concrementa & hydatides fiunt in cellulosâ telâ, bilis vero hepatica satis fluida est. Nihil igitur praeter vasorum peculiariter contortorum extremitates demonstrat anatomia in acinis hepaticis.

CCLXXIII. Ex arteriâ hepaticâ bilem non secerni suadet peculiaris illa vena portarum nulli usui futura, si nihil secernit, continuitas ramorum ejus venae cum ductibus biliferis multò evidenter quam in arteriis, experimentum quo constat arteriâ hepatis ligata, bilis secretionem supereesse, amplitudo ductuum biliariorum comparata cum arteriâ hepaticâ. Addunt aliqui naturam peculiarem sanguinis in venam portarum congesti & aptissimi qui bilem secernat Ad acinos igitur hepatis, sanguinem advehit vena portarum, & ibi absque medio folliculo in radiculam biliarii ductus pellitur bilis vi circumducti & sequentis a tergo sanguinis; accedit motus quem hepar habet a partibus vicinis; ita in maiores ramulos sensim & tandem in ductum hepaticum urgetur. Vim aliquam organicam quæ secretionem & excretionem promovet huic organo concedere adhuc necessum est.

CCLXXIV. Fabrica ductus hepatici membranosa est. Tunica interna villosa, reticulata plurimis poris & sinibus donata est. Huic ductui, post egressum ex hepate per portas, inseritur alius ductus minor, similis, qui cysticus dicitur, à vesicula fellis provenit. Illa est receptaculum peculiare, pyriforme, membranaceum, cavæ hepatis superficie in limbo adhærens, in plurimis animalium speciebus abest; transversim in homine posita est, fundus ad anteriora, cervix versus posteriora respicit, hic abit in ductum tortuosum intus rugosum, qui ad hepaticum tendens sub angulo acuto ipsi jungitur, in unum confluit seu choledocum communem & in partem posteriorem duodeni supra curvaturam ejus inferiorem inseritur, ita quidem, ut sensim & obliquè per tunicas transeundo, orificio obliquo inter rugas duodeni hiet: quo artificio impeditur regressus ex duodeno in ductum choledocum, ex eo ductu in intestinum facilis est evacuatio; continuatione peritonæi tegitur hæc vesicula ubi hepati non adhæret. Huic subjacet textus fibrosus vasorum & nervis intertextus; interior verò tunica villosa, tenera, plicis & areolis notatur superficialibus copiosissimis quasi spiralibus, minus verò quatuor tunicas à plurimis anatomicis recensitas reperimus, neque glandulas.

CCLXXV. Ex ductu hepatico ad choledocum deducitur bilis hepatica dicta, in hepate secreta omni tempore. Bilis verò cystica unde oriatur dubium est. Ductus hepatico-cystici non demonstrantur in homine, talis vesicula non videtur apta ad secretionem; bilis itaque regressus ex ductu choledoco ad cysticum & felleam vesiculam admittendus est. Non repugnat angulus retrogradus, nam levissima compressio bilem ex hepate in vesiculam urget, & flatus eam viam facile

sequitur. Si calculus vel vinculum iter cystici ductus obsidet, collapsa flaccescit vesica, uti notavit Clarist. *Lieutaud*. Turget eadem, ubi per artificium vel per aliam causam constringitur ductus choledochus. Bilem hepaticam ex illo in cysticum regurgitantem vedit *Bohnius*. Tandem hunc regressum optimè explicat angustum & obliquum iter ductus choledochi inter duodeni tunicas, inde formatur obex quo ad vesiculam cogitur bilis, ubi ventriculus est vacuus.

**CCLXXVI.** Bilis vesiculam felleam ingressa non expellitur, nisi superatis obstaculis circa collum vesicæ & insertionem in duodeno: pressionem assignant ventriculi, coli & vicinarum partium in tempore digestio- nis, ubi turgens ventriculus curvaturam elevat, premit vesiculam felleam, unde in choledochum confluit bilis cystica, in homine supino facilius, tunc enim fundus superior est. Hinc per inediā vesicula turget, in digestionis tempore depletur. Non credendum tamen omnem ex hepate bilem prius in vesiculam devenire quam ad duodenum fluat; sub certis tantum circumstantiis fit ille refluxus: fatendum adhuc pressio- nem ventriculi distenti, vix sufficere ob situm vesicæ & difficilem bilis effluxum; actione aliquâ organicâ certè donatur hæc vesicula quæ sub certis circumstan- tiis in actum exeritur. Forsan per actionem ventriculi excitatur, ubi organa epigastrica agunt.

**CCLXXVII.** Nunc venit exponenda natura illius liquidi quod tanto apparatu in jecore præpara- tur, & pro aliquâ portione in vesiculâ felleâ hu- manâ, & plurium animalium retinetur certo tempore excernendum. Facilius verò examini subjicitur bilis cystica, quæ offert liquorem sat viscidum, muco- sum, coloris flavescentis magis vel minus intensi, aliquando viridescentis. Amara est, facile cum aquâ

miscetur, cum oleo difficilius, more saponum olea & resinas solvit, unde medicatas vires possidet, per morbos aliquando pessimam indolem contrahit, acidis vegetabilibus parum mutatur, à mineralibus cogitur, si satis concentrati sint. Cum salibus mediis placide miscetur, & aliquo modo diluitur, cum salibus fixis non effervescit, & parum mutatur. Ab acidis coacta vel inspissata solvitur, addito alkali; asservata citò fcetet & putrescit, tunc acerrima est. Fœtorem dein deponit & odorem moschi induit. Leni calori exposita extractum præbet spissum, amarum, quod in aëre & in igne deliquescit, in aquâ lactescit, in spiritu vini aquoso solvitur. Flammam concipit & odorem animalem ambustum spargit. Sapa bilis non putrescit, cum spiritu nitri fervet. In calculos multiplices formæ & voluminis frequenter concrescere bilem in suis ductibus docent observata practica.

CCLXXVIII. Analyſi chimicæ exposita bilis magnam præbet portionem aëris & aquæ, dein spiritum cum sale volatili urinoso; succedit oleum primò levius, dein gravius, piceum, nigrum, empyreumaticum; remanet carbo qui incensus deflagrat; ex cinere magnes alias particulas attrahit, & alkali fixum cum sale marino per lixiviationem educitur. Terram remanentem calcaream reperiit Clariss. Cadet, *Mém. de l' Acad. des Sc. 1767.* Ex variis encheiresibus quas adduxit Doctissimus Spielman, *Experim. circa nat. bilis, Argentorati 1767,* concludit ipsi inesse substantiam ex acido animali & oleo unguinoso, multâ aquâ dilutam, cui & serum & varium salium genus, marinum nempe, mirabilis aliquid, fortè & alkali mineralis, cum terrâ inhæret. Quod spectat ferrum, credimus tantum inesse terram quæ ignis torturâ in ferrum abire apta sit. Cum verò inde non

pateat vera natura hujus liquidi, ipsi saponaceam & mucosam indolem, sed penetrabilem & acriorem quam in aliis liquoribus animalibus concedere multa suadent. Hanc sententiam non evertunt dubia proposita à Clariss. *Utendorffer*, *Diff. de bile*, *Argentinæ 1774*. Bilis hepatica fluidior, aquosior eadem principia habet ac bilis cystica, sed minori activitate pollet, & rarius in calculos concrescit. Utriusque utilitates in posterum exponemus. Sufficit si bilem hepaticam continuo secretam ad vesiculam felleam refluere intelligamus, ut dein tempore digestionis ad duodenum affundatur.

---

## C A P U T   X X .

### *De vasis & glandulis lymphaticis.*

CCLXXIX. **V**ASORUM lymphaticorum nomine designantur vasa pellucida, tenera, liquido de colore, aliquando subflavo, per ignem, & per mixtionem acidorum mineralium concrescibili plena. In animali modo mortuo oculis demonstrantur haec vasa, si ligatura majori venæ iniciatur; ex membranâ tenuissimâ cum textu celluloso intricatâ conflantur, valvulis frequentissimis donantur, quibus lymphæ regressus impeditur, versus vias lacteas verò facilius redditur iter. Haec vasa primus invenit *Olaus Rudbekius*, sed felicius honorem sibi adscripsit *Thomas Bartholinus*, dein alii ulterius inquisiverunt, inter quos *Nuckius*, *Vieußenius*, *Rufchius*, *Ferrein*, *Monro*, & nuper *Clar. Meckel* maximè nominandi: fatendum tamen circa ipsorum vasorum originem, finem & usum multa adhuc superesse dubia.

**CCLXXX.** Multiplicem vasorum lymphaticorum speciem ratione originis & finis distinguere debemus : alia ex extremis arteriis rubris continuantur, siquidem injectus liquor in arterias, replet vasa lymphatica, ita *Hallero* & aliis pluribus successit in hepate, in renibus, mesenterio, mammis, liene, &c. Hæ sunt arteriæ lymphaticæ *Vieussenio* prævisæ, quas descriptis & demonstravit Clariss. *Ferrein*. De hac continuatione immediatâ inter arterias rubras & lymphaticas dubitant nonnulli, & cellulosum textum intermedium repleri afferunt : non ita docent injectiones anatomicæ. Ergo lympha in propriis vasis à sanguine arterioso perpetuò separatur, more aliorum humorum secretoriorum. His arteriis lymphaticis correspondent venæ congeneres quæ ad venas sanguineas confluunt, multiplices anastomoses constituendo.

**CCLXXXI.** Præter hanc duplicem speciem vasorum lymphaticorum, alia ex ductibus excretoriis, alia ex cellulosæ telæ cavernulis, alia ex magnis caveis resorbent patula : demonstrantur per resorbitiones ex omni superficie internâ vel externâ ; plurimis valvulis donantur quibus dirigitur motus contenti liquoris ; glandulas conglobatas adeunt illa, sed ex illis originem non habent ; sensim confluunt in trunculos majores ; in extremitatibus inferioribus & superioribus, præcipue verò in pelvi & abdomen, in pectore, in capite externo numerosa, ad canales chyliferos confluunt in fasciculos collecta. An in venas rubras etiam se immittunt ? Affirmant plures authores gravissimi : dubitandi tamen locus est, cum longâ viâ certè ad ductum chyliferum tendant ex omni parte corporis. Ideo forsitan totam longitudinem thoracis percurrit ductus ille, ad remotissimam subclaviam inferitur, ut ex trunco, capite, collo & artibus venas lymphaticas valvulosas recipiat.

**CCLXXXII.** Glandulæ lymphaticæ sunt ex genere conglobatarum vel simplicium. Olivæ figuram referunt, modò simplices & solitariæ, modò congestæ reperiuntur. Pallidè rubent in fœtu, in adulto firmiores sunt & sicciores, multâ cellulosa telâ ambiuntur: componuntur ex membranâ exteriori firmâ, numerosissimis vasculis pictâ quæ cellulosa telam densam, succi plenam, mollem, cum vasis sanguineis, arteriosis & venosis, tum & venosis intertextam exhibet. Folliculos cavos ex hypothesi vel ex statu morboſo concedebat *Malpighius*. Succo proprio in areolis cellularum hospitante turgent hæ glandulæ quæ frequentius obſtruuntur. Ipsas adeunt vasa lymphatica in ambitu posita, ex illis alia nascuntur, injectiones ex prioribus in secunda facilè tranſeuntes vidiſ Doctifimus *Hallerus*. Ea vascula in maiores trunculos ſenſim confluunt & pluriē glandulas non raro perreptant.

**CCLXXXIII.** Tales glandulas in toto ferè corpore diſpersas detexerunt Anatomici. Quippe in facie circa malam, prope glandulam maxillarem diſteminantur, dein iter venæ jugularis & carotidis aliæ ſequuntur. Nonnullæ in collo posteriore ſitæ occipitales, aliæ cervicaleſ nominantur; ſubclaviam venam ſequuntur plurimæ, inſignem verò glomerem conſtituant axillares. In artu reliquo ſuperiori pauciflīmæ obſervantur. Cum venâ cavâ & asperâ arteriâ continuantur, ad ſeptum transversum continuato agmine deſcendunt, uti & cum œſophago & bronchiis, una dorſalis dicta fuit. His addi debet thymus cum glandulâ thyroideâ. In abdomen adhuc numeroſae diſeminantur, aliquæ orificio ſuperiori ventriculi adſident, gaſtricæ dicuntur cum œſophageis continuæ, aliæ arcum majorem ventriculi ſequuntur, aliæ arcum minorem obſidentes, à pyloro ad partes vicinas tran-

seunt, truncum venæ portarum & venam cavam sub hepate ambiunt, ad vesiculam fellis nonnullæ perveniunt, circa arteriam mesentericam aliæ continuantur; numerosissimas mesenterium & mesocolum habent, cum venâ cavâ nonnullæ descendunt secundum lumborum vertebras. Aliæ vasa iliaca & hypogastrica obsident, ad femur cum arteriâ & venâ crurali ex-eunt inter varios femoris musculos, in inguine verò in agmen congestæ sunt, in femore & poplite rariores fiunt.

CCLXXXIV. An lympha in harum glandularum caveas effunditur, dein per revehentes ductus resorbenda? An continuato canale vasa advehentia in revehentia terminantur? In cavos acinos lympham affundi statuit *Malpighius*, negant alii & suas injectiones afferunt quibus neque cavitas demonstratur, sed e contrâ continuitas arteriolarum cum vasis lymphaticis cernitur. Tamen succum proprium quasi lacteum, in spongiosam & mollem harum glandularum substantiam effundi, quem vasa resorbentia resumant, certò videmus, & facilis in his glandulis obstruktionis inde redditur ratio. In fœtu verò mollissimas, amplissimas, succi plenissimas observamus, in adulto duriores, exsuccæ, successu ætatis minuuntur, plurimæ evanescent. De illarum glandularum officio dubii harent physiologi. Alii lympham ibi attenuari & spiritibus nervosis dilui, vel alio modo præparari afferunt, vim aliquam ad iter lymphæ promovendum nonnulli concedunt: sed si veram ipsarum naturam consideremus & phænomena, quæ in statu sano & morbo ob-servanda veniunt, ad lymphæ præparationem vel dilutionem inservire judicabimus. Forsan succus ibi peculiaris separatur.

CCLXXXV. Lympha igitur à sanguine per propria vasa ubicumque separatur more aliorum humorum secretiorum,

secretorum, aliqua pars exhalat, alia in mucum nutritium abit, alia in venas congeneres lymphaticas transit: maxima pars verò in majora lymphatica valvulosa traducitur, quæ in ductus chyliferos ex omni parte confluunt. Ita docent vincula majoribus venis injecta, demonstrant valvulæ & injectiones. Indolem verò lymphæ gelatinosam & viscidam facilè concrecentem & ad solidorum reparationem optimè convenire omnia docent. Quippe per transßudationem tex-tum cellulosum irrorat, ipsi accrescit, conglutinatur & solida nutrit, dum vasa resorbentia ex fibrarum intercapelinibus succum à nutritione residuum excipiunt & in sinum massæ sanguineæ refundunt.

## C A P U T   X X I.

*De digestione alimentorum in primis viis  
seu de chimificatione & chilificatione.*

CCLXXXVI. PER varias excretiones huc usque expositas continuò decedit de corpore animali vivente, vasa inaniuntur per motus vitales, humores attenuantur, acrimoniam contrahunt, fluidior ipsorum pars dissipatur; reparatio itaque erat necessaria; hæc fit ope alimentorum & potulentorum ex quibus, per variorum organorum actiones, prolicitur fluidum chili nomine insignitum quod ad sanguineam massam traductum ipsam restaurat & consequenter omnium humorum fontem & solidorum nutritionem præbet. Actio hæc alimentorum digestio dicitur, & multiplicium viscerum operâ absolvitur. Ut manifesta fiat hæc

actio, duplarem illum appetitum quo ad alimenta & potulenta cogimur primò perpendemus, dein mutationes quas alimenta in ore accipiunt declarabimus, motum quo ad ventriculum perveniunt exponemus, mutationes quas in ventriculo subeunt inquiremus, quomodo ex ventriculo exeant, quid ipsis in duodeno, & successivè in aliis intestinis tenuibus & crassis eveniat proponemus, ut tandem reliquæ inutiles per anum expellantur. Chili vias & compositionem in sequenti capite trademus.

## SECTIO PRIMA.

*De Fame & Siti.*

CCLXXXVII. Homini bene valenti & sufficienter pasto, post horas circiter 7 vel 8 in vigiliâ, tardius in somno, redit appetitus cum agilitate & hilaritate, dein sensus famis aboletur, succedit morositas, oscitatio, per intervalla redit famis sensus & iterum cessat, pulsus languidus & debilis sensim celerior fit, os foetet & transpiratio, urina parca & acris excernitur. Si nondum assumptione ciborum sedentur hæc symptomata, febris ingruit, fugit somnus, mens emotetur, hemorrhagiæ vulgo sequuntur, dolores nascuntur horridi cum calore in scrobiculo cordis, deliquia animi superveniunt, aliquando delirium, in omnia à cibis aliena, & quidem in res horridas impetus, deinde furor mortem præcedit atrocissimam; tale exemplum habet *Tulpius, Observ. Med. Lib. 1. Cap. XLIII.* Citiùs fame pereunt juniores & laborantes quam seniores & desides. Sunt exempla hominum & seminarum in quibus ad plures septimanæ, menses & annos absque cibis vita supererat. In fame enectis ventriculus arcatus turgida habet vasa, ita ut quasi inflammatus &

erosus in internâ superficie reperiatur : vesicula fellis admodum turgida observatur , parca sanguinis copia in vasis sanguineis totius corporis continetur , & ad putriditatem maxima est proclivitas.

**CCLXXXVIII.** Appetitûs ad alimenta , seu famis , in ventriculo sedem esse nemo dubitat. Evincit sensus ipse & ejus cessatio post ingestionem alimentorum. Ab omnibus verò sensibus valdè differt hic appetitus. Causam ejus variam assignant Physiologi Fibrarum nervearum ventriculi vellicationem omnes accipiunt ; causam vellicantem assignant alii succum gastricum acriorem factum ; alii ad alimentorum reliquias ratione caloris & moræ ab indole blandâ degeneres recurrent ; alii mutuam & reciprocam vellicationem corrugatæ interioris tunicæ ventriculi vacui afferunt. Acrimoniam succi gastrici ita vellicantem nihil demonstrat. Emetica & cathartica quæ hunc succum everrunt , famem non sedant , quin potius excitant. Nec feliciùs explicant ciborum reliquiæ quæ potius famis sensum tollunt ; & inanis ventriculus sensum famis excitat. Rugas tunicæ villosæ ventriculi flaccidi à motu intestinorum , septi transversi , muscularum abdominis supra se invicem confricari , & inde sensum famis excitari æstimat Doctiss. *Hallerus* : sed hæc omnibus animalibus non conveniunt , & lenis est ille motus qui omnia phænomena famis non explicat. Alii debilitatem virium dictarum epigastricarum & minorem renitentiam assignant. Credimus potius vasa sanguinea quæ membranas interiores corrugatas ventriculi vacui subeunt , flexiones & curvaturas subire , hinc sanguinis motum in illis infringi , turgere prædicta vasa , vellicari & ita sensu proprio affici illud organum. Hanc causam docet inspectio cadaverum fame enectorum. Aliquid addere potest

succi gastrici , vel alterius cujuscumque humoris in ventriculo hospitantis acrimonia propria , cum debito fibrarum ventriculi tono ; ventriculus collapsus hepar non sustinens hunc sensum ponderis qui in hypocondrio dextro percipitur explicat . Innumera verò fames in morbis offert phænomena à naturâ & copiâ succorum digestivorum , à nervorum imperio , & ab organorum relatione pendentia in pathologiâ consideranda ; notantur etiam in statu naturali variæ antipathiæ minus explicandæ . Famis incommoda levantur alimentis vel potulentis quæ ingesta ventriculum distendunt , plicas tollunt , & succorum digestivorum acrimoniam delent .

**CCLXXXIX.** Non minus necessaria erat potulentorum ac alimentorum assumptio , quibus nempe diluantur humores & fluiditas conservetur . Inde necessitas sitis seu appetitûs ad potulenta . Sunt tamen animalia quæ potu vix egent . Homini verò & pluribus animalibus maxima est necessitas ; non semper in eodem gradu vividitatis se exerit , sed dolorem atrocissimum fame multò vividiorem , in temperie calidâ , post exercitium validum , in morbis plurimis excitat . Sitis non remittit uti fames , celerius necat , & symptomata atrociora producit ad furem & rabiem usque .

**CCXC.** Sitis sedes est in linguâ , fauibus , œsophago , forsan & in ventriculo . Siccitatis molestissimo sensu omnes illæ partes afficiuntur cum amarore , ardore & invincibili aquosorum desiderio . Mors à siti putredinem humorum & febrem acutissimam comitem habet . Ventriculum inflamatum & partes vicinas dessiccatas in siti defunctis docent incisiones . Utilitas hujus appetitûs benè intelligitur ; causam verò à siccitate totius oris , gulæ , œsophagi & ventriculi repetimus . Nervi ibi repositi peculiariter afficiuntur ,

ut ad necessariam potulentorum assumptionem, motu automatico cogamur, quo periculum avertamus, donec reparatâ aquæ in sanguine abundantiâ, restitutâ libertate vasorum secretoriorum in dictis partibus, irrigentur eadem. Hinc explicatur quare sitis à laboribus, à calore, in febribus, in hydrope, quare vino dediti continuò sitiant, quare aqua simplex minùs sitim sedat quam fluida subacida.

## S E C T I O   S E C U N D A.

*De Masticatione.*

**CCXCI.** Cibi in ore subeunt mutationes quæ morsu, masticatione & salivæ admixtione fiunt. Morsus & masticatio peraguntur supra articulationem condylorum maxillæ inferioris cum tuberculis obliquis & cavitate transversâ ossis temporum. Hanc articulationem ambit ligamentum cui adhæret cartilago utriusque ossi interposita, in medio cava. Maxillam inferiorem deprimit musculus digastricus ex sinu basi processus mastoidei insculpto ortus, tendine medio à recto tramite deflexo, ope ligamenti cujusdam annularis ossi hyoideo adnati, ad simphysis menti iterum carneus inseritur. Ad hanc actionem cui pondus maxillæ favet, aliquid conferre possunt varii musculi qui ab osse hyoide & larynge in maxillam inseruntur. Post depressionem sequitur elevatio quæ perficitur ope muscularum temporalium, masseterum, pterigodeorum internorum & externorum. Primi orti à magnâ parte laterali capitis, aponevrosi tecti, fibris dein sub osse jugali unitis, validissimo tendine, processui coronoidi inseruntur. Masseteres in duo vel tria plana divisi, carnei & crassii ab osse jugali oriuntur, margini inferiori & exteriori maxillæ inferioris,

lato spatio adhærent. Pterygoidei externi ad incisuram semilunarem inter condiloideum & coronoideum processum in internâ parte maxillæ inferioris inseruntur. Pterygoidei interni, seu majores, ab internâ processus sphenoidis alâ, crassiori tendine, ad angulum maxillæ inferioris descendunt. Si octo hi musculi agunt simul, vi incredibili premitur maxilla inferior contra superiorem. Ubi verò seorsim singuli agunt, laterales & circulares motitationes supra unum vel alterum condylum ipsi conciliant.

**CCXCII.** Maxillæ utriusque margo dentes durissimos atterendis cibis aptissimos, firmiter insculptos gerit. Sexdecim numero in adultis, in tres classes ratione figuræ dividuntur. Prioris incisivi, in utrâque maxillâ quatuor, cibos moliores dividunt, debiliores reliquis, unicam radicem, corpus latum scindens habent. Sequuntur canini in quâvis maxillâ bini, firmiores, discerpunt & lacerant tenacia. Tertius ordo est molarium qui numero decem in utrâque maxillâ, ex utroque latere quinque, radices multiplices habent, coronam quadrangulam & superficiem scrupeis asperitatibus divisam. Iis dentibus firmissimis interje&ti cibi duri franguntur, commoluntur, dum alternè ad superiores immobiles, inferiores dentes obliquè & laterali per musculos descriptos atteruntur.

**CCXCIII.** Quo verò hic alimentorum contritus diu & repetitis vicibus peragi possit, labentes inter labia, buccas, gingivas & in cavum oris palatinum alimentorum particulae sèpius iterumque dentibus submittuntur, quod linguæ proprii musculi linguam variè volutando operantur, & buccinator aliique oris ac faciei musculi partibus vicinis annexi labia & buccas gingivis applicant. Sic motibus continuis maxillæ, linguæ, labiorum atque buccarum, ministerio dentium

in alveolis maxillarum firmiter retentorum , contritus & comminutio alimentorum solidorum perficitur. Hanc actionem masticationem dicimus.

**CCXCIV.** Sub iisdem circumstantiis , saliva ex variis glandulis assignatis ( cap. 15. ) copiosior effluit , cum muco oris alimentis immiscetur ; inde comminuti cibi & diluti in pastam rediguntur , in naturam corporis humani jam mutantur per indolem salivæ saponaceam , & lymphaticam , miscentur oleosa cùm aquosis , solvuntur salia , cibi sapidi redduntur , dum sapor & odor peculiarium ciborum in unum confunditur , ad motum intestinum , seu ad solutionem & combinationem disponuntur. Quod verò volatile inest , id continuò reforbetur per vasa bibula linguæ , buccarum , & vires restaurat redditum sanguini nervisque. Masticationis maxima utilitas est , & non absque damno nimis præcipitatur. Cibi molles & liquidi , uti potulenta , hac præparatione non indigent.

### S E C T I O   T E R T I A .

#### *De Deglutitione.*

**CCXCV.** Subiecta edulia & humore salivari imprægnata , ex omni cavo oris , mediantibus linguæ , labiorum & genarum motibus , colliguntur , supra dorsum linguæ reponuntur , in bolum formantur dein deglutiendum. Ad hanc verò actionem multa organa concurrunt ex anatomicis repetenda ; huc præcipue confert lingua. Tota musculosa triplici externo musculo movetur , genio-glosso nempe , stylo-glosso & hyo-glosso. Quinque musculos habet os hyoides , mylo-hoideum nempe , sterno-hyoideum , genio-hyoideum , stylo-hyoideum & omo-hyoideum. Totum laryngem movent adhuc sterno-tyroideus & hyo-tyroideus. Ve-

lum palati molle duos arcus efformat, in quorum medio appenditur uvula mollis & mobilis, triplici musculo regitur. Unus est anterior, à basi linguæ ad uvulam protenditur, alter rectus qui ab asperitatibus ossis petrosi nascitur. Tertius circumflexus palati dicitur. Quartus additur impar seu azigos uvulæ. His muscularis elevatur & deprimitur maximâ celeritate velum palati cum uvulâ; inter columnas veli palatini sitæ sunt amygdalæ. Larynx totus à duobus musculis communibus movetur, sterno-hyoideis nempe & hyo-thyroideis. Pharynx est canalis musculosus superiùs latior quàm inferiùs, in ore apertus, & cum œsophago continuus; pluribus partibus vicinis superiùs annexus est, & ideo multiplices musculos descripserunt Anatomici, vide *Lieutaud, Eff. Anatom. pag. 157.* Ipsi adhærent superiùs stylo-pharingei. Fibris musculosis propriis quæ duplex stratum constituunt arctantur, vel elevantur, vel dilatantur variæ hujus infundibili portiones. Pharynx pergit in canalem membranosum & musculosum retrò asperam arteriam, parum ad sinistra positum, qui ad ventriculum foramine proprio in diaphragmate terminatur. œsophagus dicitur, dupli etiam strato conflatus. Pharyngem & œsophagum intùs vestit membrana tenuis, cum illâ oris continua, & plurimis glandulis donata quæ mucum has vias lubricantem fundunt. Arterias, venas & nervos à partibus vicinis accipiunt.

**CCXCVI.** Ad deglutitionem multiplicita hæc organa sic concurrunt: primò apex linguæ elevatur ad palatum osseum, dum pars ipsius posterior expanditur per genio-glossum ac hyo-glossum. Ita bolus jam proprio pondere ad gulam ruit, elevatur dein & velo palatino applicatur linguæ basis, hoc stylo-glossus postissimum perficit; tunc temporis os hyoides cum an-

nexus partibus attollitur per mylo-hyoideum, genio-hyoideum, & stilo-hyoideum; sequitur larynx cuius ascensum juvant hyo-tyroidei & ea pars stylo-pharangei quæ in cartilagine thyroideâ finitur: pharinx sursum ducitur & ampliatur per stylo-pharingeum, ac per variam suarum portionum ad partes vicinas annexarum contractionem; fretum oris ita ampliatum recipit bolum, & hoc est primum deglutitionis stadium. In secundo, licet citissimo, multæ perficiuntur actiones. Velum palati mollis deprimitur per glosso-staphilinos, ne ad viam modò dictam regurgitet bolus, dein elevatur, ad aperturas posteriores narium applicatur per circumflexos palati, deprimitur larinx. Ita facillimè descendunt alimenta mollia & lubrica vel potulenta; duriores verò & asperiores cibi muco ubique præsentे, & imprimis in ipso deglutitionis actu ex tonsillis & variis glandulis expresso inunguntur, & lævigi sine incommodo has viarum angustias transeunt. Ulterius per pondus & per œsophagi successivam contractionem propellitur bolus ad ventriculum, si crassior sit, cardiam dilatat. Ex his intelligitur quare in anginâ & variis palati affectibus lædatur deglutitio, ita & à fiscitate oris vel œsophagi, quare aliquando difficilior deglutitio fluidorum quàm solidorum? Quare in fissuris veli palatini alimenta ad nares regurgitant?

## S E C T I O   Q U A R T A.

*De actione ventriculi in ingestâ, seu de chimificatione.*

CCXCVII. Ventriculus in hypocondrio sinistro partim & epigastrio situs, sub diaphragmate, inter hepar & lienem collocatus, vas membranaceum refert quod figurâ propriâ donatur, ita ut major ipsius extremitas in quâ aperitur œsophagus sinistrum

hypocondrium occupet : inde decrescit ventriculus versus epigastrium , & in canali intestinalis continuatur. Orificium superius , seu sinistrum cardia , dextrum pilorus dicitur. Duas habet curvaturas, unam majorem vel inferiorem, alteram minorem seu superiorem. Quatuor conflatur membranis. Prima est externa , communis quae cum peritonaeo continuatur. Sequitur tela cellulosa quae plurimas habet glandulas tenuissimas cum vasibus lymphaticis. Vasorum arteriosorum & venosorum trunci cum nervis hanc primam cellulosa penetrant. Huic subjacet tunica musculosa in qua fibrum ordo varius observatur. Quaedam enim ab oesophago descendentes obliquè se deferunt ad omnes partes ventriculi & longitudinales sunt. Aliæ circulares ventriculum ambeunt ; aliud planum quasi vorticis adhuc magnam extremitatem ventriculi irregulariter circumdat & ambit : post hanc sequitur cellulosa latior in qua rami arteriosi & nervosi cum nervis dividuntur , & rete tertiae tunicæ constituunt quam nervosam vel vasculosam dicimus. Hanc tegit ultima villosa dicta , epidermidi continua , villis multis tenuissimis facta. Duæ tunicæ interiores aliis longiores rugas & plicas in ventriculo secundum longitudinem variè implexas constituunt. In ambitu vero orificii inferioris ventriculi reduplicatae annulum tumidum molle constitutum , quem intestinum duodenum amplectitur , pilorus dicitur ; ita arctatur illud orificium & aliquando quidem clauditur.

**CCXCVIII.** Scatet superficies interna ventriculi rugis minoribus , villis , poris quos injectiones tenues facile penetrant. Sed glandulae non ostenduntur , licet plurimi admittant. Vasa arteriosa ventriculo multa prospiciunt , à pluribus truncis orta : quippe coronaria stomachica ex cœliacâ nascens ferè tota huic impen-

ditur. Alios adhuc ab hepaticâ & à splenicâ ramos accipit, tandem & à mesentericâ superiori nonnulli ramuli veniunt. Illæ arteriæ frequentes inter se habent anastomoses, & multiplices divisiones in textu celluloſo offerunt; ita transitûs libertas semper conservatur, sanguini & injectionibus exitus facile præbetur. Venæ congeneres ad venam portarum confluunt, ad ramum splenicum tendunt vasa brevia quæ venosa sunt. Nervos habet ventriculus ab octavo pari & vago conspicuos, præcipue in ambitu orificii superioris. Sensus verò peculiaris sedem in hoc organo reponere multa phænomena cogunt in statu naturali & morboſo conspicua. Vasa lymphatica in ambitu ventriculi plures obſervarunt. In hujus visceris cavitatem continuò ſtillat ſuccus gaſtricus ſaponaceus, ſalivæ analogus, mucosus, infipidus, neque acidus, neque alkalinus, per extremos canales cum arteriis continuos excernitur inſigni co- piâ quam tamen exactè aëſtimare non poſſumus. Muco etiam viſcidiori ex lacunis ibi aperti obliniuntur pa- rietes ventriculi.

**CCXCIX.** Quasnam mutationes ſubeant ali- menta in hanc cavitatem deſpoſita nunc inquiremus. Jam emollita in paſtam & aliquo modo ſoluta per vim ſalivæ ſaponaceaſ hūc perveniant, ibi retinentur in loco calido & humido, potu diluuntur; ipſis miſ- cetur liquor gaſtricus copioſus ad illa diluenda & ſimul ſolvenda aptiſſimus. Duriora & nondū ſoluta mace- rantur, emolliuntur, ad ſolutionem diſponuntur. Huic ſolutioni favet calor animalis qui videtur in tempore di- geſtionis ad ventriculum intendi: præterea aér ali- mentis & ſalivæ admixtus expanditur, rarefit, mini- mas alimentorum particulas ſeparat, & ita liquoribus ſolventibus viam aperit; inde magis ac magis atte- nuantur alimēta, miſcentur, diſolvuntur, naturam

homogeneam & fluiditatem acquirunt, in chimum tandem convertuntur. Hanc solutionem adjuvant adhuc continui parietum ventriculi motus à tunicâ musculosâ produeti, non comparandi cum trituratione, saltem in homine, sed in levi perreptatione consistunt quâ agitantur & promoventur contenta in statu naturali versùs pylorum: favet adhuc pressio alterna dia phragmatis, muscularum abdominalium & motus placidus totius corporis.

CCC. His viribus subacta alimenta & dissoluta angustias pylori transeunt, quâ proportione solvuntur. Solidiora verò retinentur, & dictis actionibus diutiùs exponuntur, ab humoribus in poros & interstitia penetrantibus emolliuntur, vel saltem suis particulis nutrientibus privantur & expelluntur ex ventriculo. Chymi naturali motu in ventriculo agitati fluidissima pars sensim sensimque per pylorum ad duodenum abit. Dextrum enim hoc orificium, declivi suo situ, tenuioris liquidi effluxum admittit, sed ob marginem internum prohibet ne magna chimi moles evacuetur, tenacioribus verò ingestis non nisi post longam moram egressum permittit. Subtilissima potulentorum & alimentorum quorumdam elementa per poros absorbentes in tractu gulæ & in ventriculo patentes resumuntur, nervos subito recreant, ut inde prompta fiat restauratio absque digestione.

CCCI. Est itaque digestio alimentorum in ventriculo, motus intestinus, sive actio reciproca particularum alimentarium & liquorum solventium quâ illæ ab his macerantur, suscipiuntur, solutæ quodammodo iterum miscentur & combinantur in pultaceum liquamen lactei aut cinerei coloris, saporem & odorem alimentorum referens, quod chymus dicitur. Hanc solutionem juvat calor ambiens, aër elasticus

& motus ventriculi. Nihil verò in digestionis humanae operâ simile est triturationi, neque coctioni; repugnat constitutio ventriculi & autopsia, in granivoris tamen non neganda est. Neque admittenda sunt fermenta digestiva salina ab aliis proposita, & licet fermentationem perfectam in sensu aliquorum admittere prohibeant leges fermentationis, & indoles chymi, motum aliquem intestinum seu reactionem solventium & solutorum cum reciprocâ combinatione non negare debemus.

**CCCII.** Contenta ventriculi ita naturaliter expelluntur per cardiam, sed contrariâ directione morbosâ, vel per vim medicamenti, fit evacuatio per cardiam, œsophagum & os, sine conatu in nauseâ, vel cum conatu in vomitu, aliquando vehementi; imò ad nauseam & vomitum blandum sufficit ventriculi contractio; ad laboriosum verò & violentum, diaphragma & abdominales musculi in consensu tracti simul concurrunt cum violentâ ventriculi contractione convulsivâ & pylori arctatione, quâ contenta per superiora expelluntur. Ideo magna fit inspiratio quam sequitur expulsio. Ubi intestinum duodenum & sequentia intestina ad hunc motum antiperistalticum contribuunt, eorum etiam contenta per hanc viam eliminantur, & aliquando simul per inferiora.

**CCCIII.** Ex dicto solventur quæstiones sequentes.  
An solus calor alimenta coquit in ventriculo? Cur tumescit digerens ventriculus? Cur tum dispnæa, rubor faciei, torpor, aliquando frigus? Quare nimis infarctus ventriculus nihil dimittit nec digerit, sed diu retenta cruda evomit, vel per diarrheam ejicit? An & quantum digestionem adjuvat exercitium moderatum? Cur immoderatum hanc depravat? An in somno facilior est digestio ac in vigiliâ, & quinam situs in dormiendo

melior ? Cur in hyberno tempore magis edaces sumus quam in æstivo ? Cur digestionem retardat & appetitum minuit liquor gastricus nimis copiosus , viscosus ? Cur digestioni officiunt nimiæ mentis vel corporis exercitationes , mœror , libido venerea ? Unde in digestionibus ructus & crepitus & quid significant ? Quænam sunt optima stomachica ? An his accensendi liquores spirituosi ? Unde tot variorum ventriculorum idyosincrasia ? Cur facilius digeruntur quæ maximè appetuntur & vice versa ? Unde ventriculi cum tot partibus sympathia in praxi medicâ observabilis ? An benè ratiocinantur qui omnium ferè morborum causam ex ventriculo eruunt ?

## S E C T I O Q U I N T A.

*De mutatione quam chymus subit in intestinis tenuibus.*

CCCIV. Cum ventriculo continuatur tubus intestinalis , membranaceus , qui multas post circumvolutiones in ano terminatur ; ejus longitudo vulgo sexies major homine ex quo depromptus est reperitur. Licet unum canalem continuum constituat , in duas portiones ratione diametri dividitur ; prior portio tenuia , posterior crassa intestina constituit. In tres alias portiones dividuntur tenuia , duodenum nempe , jejunum & ileum : tres habent crassa etiam portiones , cœcum nempe , colon & rectum. Tenuum anatomiam præmittemus. Ipsorum compositio est membranacea. Ex quatuor tunicis conflantur quarum prima communis à peritonæo venit. Sequitur tela cellulosa , cui subjacet musculosa ex dupli fibrarum ordine constans ; præcipuum est stratum circularium , pauciores sunt longitudinales fibræ ; post musculosam sequitur cellulosa , dein nervea vel membranacea tertia vasculis & nervis

picta; tandem ultima villosa, mollis, quasi epidermidis est continuatio in quâ nervi & vascula terminantur.

**CCC V.** Tota superficies intestini emittit innumerabiles flocculos fluitantes in speciem villosi serici, conicos utrimque, cum quibus cohæret ovalis ampulla, gracili ductu in villosæ tunicæ superficie aperta, lacte sæpe plena, quam circumjecta vascula vnde ambeunt. Tunica interna cum textu nerveæ tunicæ plicatur in rugas utcumque semicirculares & irregulares, in initio tenuum frequentissimas, & sensim magis distantes, valvulas conniventes dicimus. In villosæ tunicæ internâ superficie aperiuntur infiniti pori majores vel minores, aliqui ducunt ad conspicuas glandulas simplices, mucosas, in cellulosâ tertiatâ positas, minus frequentes in duodeno & jejunio quam in ileo, ubi congregatae reperiuntur, Peyerianæ dicuntur.

**CCC VI.** Fistula hæc tota intestinalis mesenterio necitur. Est nempe membrana crassa, pinguis, ex dupli laminâ à peritoneo prodeunte & adipe cum vasibus omnis generis ac glandulis interjectis constans. In medio intestinalorum & præsertim tenuium situm est mesenterium, tribus superioribus vertebris lumborum annexum. Jejunum ac ileum suspendit, usque extimam largitur tunicam per inumeras plicas adhærens, ut multò longiori intestino tractui adhæreat. Mesenterium in totâ extensione intestinalia colligat, sustinet & in situ retinet. Vasa sanguifera intestinalium ac chilifera continet. Copioso adipe & vapore lubricante intestinalia fovet, blandâ exhalatione emollit, mulcet & mobilia servat, à concretione prohibet, uti & omentum.

**CCC VII.** Vasa copiosissima arteriosa mesenterio & intestinalis tenuibus prospiciunt, nempe arteria mesenterica superior ex aortâ super renales nascitur,

ad centrum mesenterii progrediens arcum efformat; ex cuius convexitate ramuli nascuntur qui ad jejunum & ileum distribuuntur. Frequentissimas inter ramos & ramulos anastomoses instituunt, ita ut rete prope intestina constituant, inde nunquam fluxus intercipitur & obstructionis periculum avertitur. Anastomoses adhuc à mesentericâ inferiori accipit. Peculiares arterias habet duodenum ab hepaticâ, à pancreaticâ & mesentericâ. Venæ mesentericæ ad venam portæ confluunt, sunt absque valvulis & cum arteriis liberè communicant. Liquor injectus in hæc duo genera vasorum ad intestina facile penetrat, & in ipsorum cavitatem depluit. Nervi plexus notabiles constituentes à pari vago & intercostali oriuntur, & ad hæc intestina se distribuunt.

**CCCVIII.** Arteriis exhalantibus depluit in cavitatem intestinalorum liquidum tenuem, aqueum, liquori gastrico analogum, succus intestinalis dicitur. Copia hujus liquidi maxima aestimatur ex amplitudine organi excretorii, ex diametro arteriæ secernentis, ex laxitate partis calidæ perpetuò humectatæ, ex diarrhæis aut aliis egestionibus alvinis aliquando copiosissimis. Mucum lubricantem fundunt, ad defendendam villosæ membranæ superficiem, glandulæ superiùs dictæ.

**CCCI X.** Phænomenon maximè notandum nobis offerunt intestina. Aperto abdomen animalis vivi, intestina præcipue tenuia, motu reptatorio seu vermiculari irregulari donantur, peristalticum dicunt. Nempe pars intestini laceffita à flatu, aëre, liquore, aut quocumque modo irritata constringitur, etiam per aliquot horas post mortem animalis, post constrictionem relaxatur vel distenditur. Hic motus alternus modò in unâ, modò in aliâ intestini parte, modò deorsum, modò fursum absque certo ordine, ubi cumque

cumque aér vel cibus vel bilis stimulum admoverit. Id sit cum alterno reptatu quem in vivis animalibus facilis dissecțio, in homine vulnera abdominis demonstrarunt. A superioribus ad inferiora, in statu naturali dirigitur, à quo abludens irregularitates plurimas offert, extra digestionis tempus languidior & vix conspicuus, in digestione vividior & quasi vermicularis appetet, ad corpora acria irritantia intenditur. Alternam fibram circularium & longitudinalium tunicæ musculosæ contractionem in hoc motu assumunt plurimi Physiologi, sed potius arrectionem & elevationem cum constrictione à simultaneâ longitudinalium & circularium contractione, pendentem observamus, quām alternam constrictionem & dilatationem; ita contenta hujus canalis à pyloro naturaliter ad intestina crassa promoventur.

CCCX. Hæc sunt communia omnibus intestinis tenuibus; sunt aliqua verò unicuique peculiaria. Primum, seu duodenum pylorum ambit, inde transversum ad vesiculam fellis migrat, deinceps obliquè descendit, & curvaturâ magnâ crassam extremitatem pancreatis amplectitur, intra breves & extremos peritonæi processus alligatum, progreditur & in jejunum continuatur. Amplum est & extensile illud intestinum. In primâ curvaturâ aperiuntur ductus choledocus & pancreaticus, suum humorem evomunt, aliquando dupli, vulgo simplici orificio quod tegit membrana interna intestini, valvulae officio fungens. Cum duodeno continuatur jejunum, circumvolutiones potissimum circâ umbilicum plures agit; per colorem & situm distinguitur ab ileo quod ipsi continuum, minus extensum, regiones iliacas præcipue occupat, & ad latus dextrum terminatur, initio crassorum aperitur. Valvulae conniventes frequentiores sunt in jejuno ac in ileo;

ultimum verò frequentiores habet glandulas peyrianas.

**CCCXI.** Jam veniunt exponendæ mutationes quas alimenta in illis intestinis tenuibus recipiunt. Ex ventriculo, per causas assignatas, defluentem pultem cibarium intestinum duodenum recipit, quod est vera chilificationis officina; in illo, propter ejus curvaturas & facilem distensionem congeritur chymus, aliquam moram habet, lentè transgreditur ad maximam utilitatem. Huc affluit nempe triplex humor chilificationis præcipuum adminiculum; scilicet bilis duplex, hepatica & cystica, cum succo pancreatico. Illa ingestorum massam jam eliquatam, salivâ & succo gastrico leviter solutam ulterius diluit, per indolem saponaceo mucosam variarum substantiarum cohæsionem solvit, moleculas oleosas tenaces aqueis miscibilis reddit, tandem peculiari energiâ materiam illam chymaceam particulis, mole & indole dissimilibus constantem homogeneam facit. Hanc actionem, licet utrique bili propriam, validius exerit bilis cystica majori activitate pollens, & in majori copiâ tunc affluens. Simul miscetur succus pancreaticus & succus intestinalis; ab effusione illius liquoris, cibariorum moleculæ ulterius subiguntur, solvuntur, intimius permiscentur, mobiliores extrahuntur, à viscidioribus extricantur & evolvuntur, bilis diluitur & temperatur. Ita immutatur hæc massa, ut unam quasi formam induens, liquorem albescensem, lacteum & homogenum constituat portio alimentorum in illis liquoribus solubilis, qui liquor non amplius alimentorum & potulentorum dotes refert, & chylus dicitur.

**CCCXII.** Sic præparatur exquisitus ille succus lacteus, ex alimentis & variis liquoribus digestivis compositus, ex quo prodeunt cæteri latices; quippe

sanguinem reficit & instaurat, succum nutritium præbet, & omnium secretionum materiam suppeditat. Sed cum variis alimentorum moleculis solutu difficultoribus vel insolubilibus & heterogeneis adhuc mixtus ulterius progreditur, succo intestinali copioso in tractu intestini jejunii adhuc miscetur, diluitur & ulterius semper solvitur. Causam motū progressivi repetimus à motu peristaltico intestinalium tunc validiori, quo contenta liquidiora urgentur; adjuvant compressiones à vicinis partibus natæ quas alternatim excitat motus inspiracionis & expirationis, uti & motus totius corporis. Favet valvularum conniventium dispositio, mucus has vias inungens, præcipue in intestino ileo, ubi jam liquidiore parte orbatæ reliquæ alimentorum & magis exsuccæ difficulter progrediuntur, dum partes liquidiores solubiles per vasa chylifera, uti dein trademus, resorben- tur. Prius verò reliquæ alimentorum usque ad finem intestinalium perducendæ sunt.

## S E C T I O   S E X T A.

*De actione intestinalium crassorum.*

CCCXIII. Reliquæ alimentorum quæ in chilum non fuerunt conversæ, partes acres quæ ab ostiis resorbentibus fuerunt exclusæ, fibræ, membranæ solidæ quas vires digerentes in chilum non valuerunt convertere, partes terreæ exsuccæ ex fine ilei in crassa intestinalia traducuntur. Tria distinguntur; canalem ampliorēm quam tenuia, cellulis irregularibus notatum constituant. Parietes crassiores, robustiores habent quam intestina tenuia, & fibræ longitudinales musculosæ in tres fasciculos colliguntur, qui totam longitudinem intestinalium crassorum sequuntur ex fundo cœci orientes. Illorum fasciculorum unus est anterior &

nudus ; duo alii posteriores , omento & mesocolo teguntur , ligamenta dicuntur , licet musculosa sint ; breviora intestino , illud ita contrahunt ut intorsum eminentes tunicæ intestini , plicas & cellulas irregulares per amplas , in toto tractu intestinorum crassorum , præcipue in colo producant . In recto latiores fiunt illi fasciculi , & totum quasi amplectuntur , his deletis cellulæ ferè evanescunt . Magnam distensionem permittunt hæc intestina . Interior tunica rugosa & porosa folliculos solitarios vel congregatos copiosos gerit , quibus mucus lubricans fecernitur .

**CCCXIV.** Continuatione mesenterii retinentur intestina crassa ; & mesocolon , ubi colo , mesorectum , ubi recto adhæret , dicitur . Brevius est in initio intestini coli , dein in arcu coli longius est , brevius in parte laterali sinistrâ , tandem longius in initio recti , sensim brevius fit , ita ut versus finem ad columnam vertebrarum magis accedat & fixum hæreat . Appendices adiposas magis vel minus crassas & copiosas notabiles gerunt hæc intestina crassa . Vasa arteriosa inter laminas mesocoli progredientia veniunt præcipue à mesentericâ inferiori . Venæ ad utramque mesaraicam & dein ad venam portarum confluunt . Nervi veniunt à plexu colico sinistro ; vasa adhuc lymphatica & lactea cum glandulis congregatis & adipe copioso continent . Divisiones horum vasorum minus frequentes sunt ac in intestin tenuibus ; glandulæ lymphaticæ rariores , mucosæ verò frequentiores sunt . In intestinorum cavitatem adhuc depluit liquidum lymphaticum intestinale ; venæ resorbentes ibi patent . An etiam vasa chylifera ? Motum peristalticum & irritabilitatem in minori gradu quam in intestinis tenuibus demonstrant experimenta .

**CCCXV.** Cæcum sifit saccum brevem & rotundum , in unione ilei cum colo appensum , ante tenem dex-

trum situm est, ex ejus imâ parte prodit in adulto homine gracilis, foetui latior appendix, vermicularis dictus, glandulas aliquas habens & canalem cœcum efformans. In unione verò ilei cum colo, utriusque duæ membranæ interiores per textum cellulosum unitæ plicam majorem efformant in medio apertam, & per fibras solidiores in utroque fine retentam, valvulam dicunt, quæ reliquias alimentorum à vasis chiliferis non resorbtas ab ileo ad cœcum facilè transmittit. Quando ergo massa de cibo superstes, per ileum, in intestinum colon advenit, ea pondere suo in eum cœcum saccum dilabitur, ibi stagnat, colligitur, magis exsugitur, in scybala mutatur, & calore loci propriâ que naturâ putrescit, ibi imprimis fœtor excrementorum incipit; est aliquando sedes flatuum. Hæc collecta ob pressionem & acrimoniam fibras musculares hujus intestini ad contractionem stimulant, & post aliquam moram ulterius pelluntur. Vim promoventem repetimus ab harum fibrarum muscularium actione & à succendentibus continuò novis alimentorum reliquiis. Quid ex appendice cæco veniat & quænam sit hujus utilitas, inquirunt; varii varia proponunt. Succum peculiarem aliqui ibi secerni aestimarunt; sed nihil certi adhuc habemus & nihil nisi glandulas mucosas in hoc appendice demonstravit anatomia.

**CCCXVI.** Ex cæco expulsa scybala in colon transeunt; idem illud orificium prætereunt per quod anteà intraverunt. Valvula coli ex parte ilei patula est libera, reliquiis alimentorum facilem exitum præbet, sed dein depressa per structuram & arctationem rimæ, solida & vix liquida relabi non sinit, uti docent experimenta. An non irritatum orificium per vim peristalticam adhuc clauditur? Certè favet motus peristalticus intestinalis, & ideo in validis horum affectibus,

propter constrictiōnem , contenta quidem crassorum per vomitum rejiciuntur à motu antiperistaltico dicto.

**CCCXVII.** Ex his angustiis ulterius longitudinem coli percurrunt reliquiae alimentorum , in excrementa jam mutatae , & vi peristalticā ejusdem promoventur. Viam lubricat & faciliorem reddit mucus ex glandulis & folliculis uberrimis fluens. Quippe contrā propriū pondus primām coli curvaturam ascendunt excrementa , & magnum ipsius arcum qui ab hepate ad lienem , sub ventriculi curvaturā majore protenditur percurrunt ; colon dein supra renem sinistrum decurrens , flexibus peculiaribus in regione iliacā sinistrā factis , ad ultimam lumborum vertebram in rectum intestinum continuatur quod ad pelvī venit. Hanc viam sequuntur scybala in axi canalis mota , interdum & in cavernis lateralibus saepius latentia retinentur , indurantur , putrescunt. Aēr cum illis mixtus rarefit , crepitus vel dolores colicos gignit non raro. Maxima vero est harum cellularum utilitas ; ne scilicet continuo & quasi indefiniti fluxu egeramus alvum. Sic retenta foē crassa , exsucca magis fit & figuratur , ob lentum iter per hanc longam viam in qua patula adsunt adhuc vasorum lacteorum orificia quae reliquum nutritium succum exsugunt. Vim peristalticam parietum coli promoventem adjuvat motus respirationis & excitat bilis , turgido præcipue ventriculo copiosius affluens , vel aliæ causæ irritantes ibi hospitantes , quae si continuo præsentes sint , ad egestionem frequentissimam stimulant. Inde diarrhoeæ & variæ fluxuum species.



## SECTIO SEPTIMA.

*De excretione alvinâ.*

**CCCXVIII.** Fœces tandem in rectum delatae  
hoc intestinum replent, & cum ubique pinguedo illi  
circumfusa sit, interdum distendunt usque dum moles  
vel stimulus acriorum scybalorum intestinum ipsum  
ad contractionem violentam disponat. Magnam utili-  
tatem habet hæc congestio in variis coli & recti cel-  
lulis, quæ à continuâ egestione nos liberat. Post suffi-  
cientem verò distentionem, vel convenientem irrita-  
tionem, tunica muscularis contracta, canalis intestinalis  
diametrum arctat & fœcum expulsionem promovet.  
Egerenda adhuc lubricat mucus in numerosis ibi sitis  
folliculis secretus, & has vias obliniens.

**CCCXIX.** Proprii musculi anum regunt, & hanc  
excretionem voluntati submittunt, licet ab eâ inde-  
pendens frequentius observetur. Extremitatem nempe  
intestini recti fibræ circulares ambiunt, & sphincterem  
internum constituunt; sphincter verò externus latus &  
carneus sub integumentis ani utrinque positum stratum  
fibrarum, in anteriore æque ac posteriore recti facie  
acuminatarum exhibet, quod voluntariam ejus con-  
tractionem perficit. Horum constrictione naturali &  
tonicâ clauditur orificium, à voluntate etiam regitur.  
Ani verò levatores amplissimi, à spinâ ischii, osse pubis  
ad synchondrosin, & ab ischii parte quæ super tuber est  
orti, extremitatem recti ex utroque latere amplectuntur  
& sustinent, ne descendat rectum & turpiter hiet.  
Contracti hi musculi orificium ampliant elevando.

**CCCXX.** Ubi igitur fœx in recto collecta, copiâ,  
pondere, vel stimulus hoc intestinum stimulat, intenditur  
motus hujus intestini & vix superandus sequitur defi-

dendi conatus. Tunc diaphragma, retentâ inspiratione complanatur, musculi abdominales contrahuntur, præcipuè si sicca sint excrementa; ac demùm fœces, angustatâ imi ventris cavitate, versùs podicem detrunduntur, sphincteris obicem superant, anum dilatant levatores, ad superiora ducunt, scybala fœtoris tertiimi cum muco intestinali sæpius & aëre rumorem faciente propelluntur, venter hoc molesto onere liberatur. Ubi excrementa liquida effluunt, vix ulla opera necessaria est, nisi validus ibi adsit stimulus dolorem vel tenesimum excitans. Egestâ fœce retrahitur intestinum à fibris suis longis, & anus ab utroque sphinctere clauditur.

**CCCXXI.** Hæc fœx fœtidissima in homine & in animalibus carnivoris, penè putrida, mollis, multùm continet olei cum sale subacri; tamen ubi distillationi exponitur, phlegma insipidum, limpidum odoris integrati primùm elevatur quod nihil alkalini volatilis habet, indicio nondum adesse perfectam putrefactiōnem. Si verò residuum ulterius urgeatur, præbent spiritum & salem alkalimum volatilem, oleum fœtidum, cum carbone residuo, quæ omnia ex substantiis animalibus educuntur. Pyrophorum quem ex excrementis animalibus paravit *Hombergius*, multæ aliæ substantiæ producunt idoneo modo tractatæ.

**CCCXXII.** Ex illis liquet quæ materies fæcum in statu sano, quæ causa ejus singularis putredinis aliquando validissimæ, cur intestina eò plures glandulas mucosas habent quò propiora sunt fini, unde alvus sicca vel fluida, quare densa cutis, rara alvus, & vicissim. Quid pinguedo facit boni ubique circa intestina, maximè ad finem; cur validissimis lenta alvus, fæx dura & pauca; quare frequentes his hæmorrhoides; cur vulgo quotidiè ad determinatam

horam fluat alvus ; cur in exoneratione alvi simul expellitur urina ; cur tenesmus his qui calculo vesicæ laborant ; cur dysentericis aliquando stranguria ; cur in stranguriâ tenesmus ; cur rectum locatur liberum ab omni osse & musculo in spatio magno solo adipe repleto ; cur in egestione violentâ rubet facies , lacrimant oculi , vertigo , apoplexia aliquandò accidit ; unde in aliquibus morbis excrements & clisteres per os rejiciuntur.

## C A P U T    X X I I .

*De transitu chili ad sanguinem.*

CCCXXIII. **V**IAS dictas (311) percurrendo chylus offertur ad ostia aperta vasorum lacteorum , per bibula illa copiosissima orificia resorbetur pars ipsius liquidior. Causam resorptionis repetimus ex visu corporiâ vasorum capillarium apertorum & vivorum quam omnia naturæ phænomena demonstrant. Aliquid addit motus peristalticus intestinorum , quo alternatim latefcunt & constringuntur orificiorum ampullæ : ita igitur optima alimentorum pars , seu mucilaginosa & gummosa liquoribus saponaceis mucosis , lymphaticis digestivis soluta , lactea & fluidissima per oscula in extremo quoque villo patentia accipitur in cavum villum laxatum , & ulterius propellitur. Valvulosa quippe sunt vasa lactea , & chilum ab intestinis venientem relapsurum sustinent. Inter tunicas intestinorum rapi chilum facile intelligitur , præcipue ubi alterno motu peristaltico donantur in tempore digestionis.

**CCCXXIV.** Vasa lactea ex intestinis egressa, inter utramque mesenterii laminam & pinguedinem interpositam excurrunt, plura minora coëunt ad angulos acutos, creant majorem fluvium, iterum à se recedunt & factâ insulâ de novo in majorem canalem confluunt. Ad has divisiones vasorum chiliferorum adsident plurimæ glandulæ congregatæ, generis lymphatici, vasa chilifera illas adeunt & per ipsarum cellulosam fabricam divisa, maximam partem glandulæ componunt. Ex illis glandulis nova egrediuntur vasa lactea, quæ majores & pauciores ramos facientia, alias glandulas ter quaterve, & tandem in truncos concurrentia ad radicem mesenterii ascendunt, vixque ullum vas lacteum huc pervenit quod talem aliquam glandulam non adiverit. Esse hoc verum iter chili, & ab intestinis ad mesenterii glandulas pergere demonstrat ligatura quâ injectâ, vasa lactea inter vinculum & intestinum intumescunt, schirri glandularum quibus conspicua redduntur hæc vasa, valvularum natura regressum ad intestina impediens.

**CCCXXV.** Glandulæ mesentericæ molles sunt, spongiosæ, telâ cellulosâ factæ, membranâ externâ tectæ, numerosissimis sanguineis ramulis pictæ. Quid chilo in hoc textu glandulofo cellulofo contingat non certum est. Apparet tamen ex arteriolis secerni succum aliquem, quo affuso chilus diluatur; spiritus animales addi, alii chilum accelerari, alii lentescere dixerunt, sed certò observatum est, superatis omnibus glandulis chilum magis dilutum esse.

**CCCXXVI.** Ex illis glandulis, per causas dictas, chilus vasa lactea transcendent, dein sequentes glandulas perlustrat & pluriès tales subit. Ex ultimis tandem quæ propius in centro mesenterii congeruntur, pauciora vasa lactea latiora exeunt, quæ sensim ascen-

dendo confluunt ex omni parte in ampullam cellulofam, irregularē ad latus aortae, inter ipsam & appendicem septi transversi dextrum positam, supra primam & secundam lumborum vertebram, vocant chilis receptaculum: huc pervenit chilus lento suctionis & constrictio[n]is, alternæ adhuc inspirationis & expirationis motu, nec non adminiculo valvularum. Ad illud receptaculum confluunt numeroſa vasa lymphatica venosa ex abdome & artubus inferioribus, lympham huc affundunt quā diluatur chilus lacteus & succis inquilinis fiat magis analogus.

**CCCXXVII.** Chilus ad cisternam lumbarem deductus ascendit in ductum thoracicū. Is ab itinere sic dictus ex cisternā lumbari oritur, inter venam azygos & aortam flexuosè dein ascendit supra columnam vertebrarum retrò pleuram & sinistrorsum, recipit inserta vasa lymphatica ventriculi, œsophagi, pulmonum, per glandulas congregatas quas plurimas vicinas habet advenientia. Cylindricus in universum hic ductus frequentes insulas facit & divisus in seipsum redit, maximè superius. Valvulas pauciores habet & retrò vasa subclavia perveniens recurvatus, saepe divisus, irregulariter descendit, unitis osculis vel duobus distinctis in venæ subclaviæ sinistræ cum jugulari internâ conjunctionem obliquè inseritur, ita ut valvulae officio fungatur, & via sit libera à ductu in venam, non permittatur verò regressus ex venâ in ductum thoracicū. In toto suo tractu innumera vasa lymphatica recipit adhuc ex artubus superioribus, tum ex capite prope finem maximè notanda. Per hunc ductum in venam subclaviam chilum venire constat ex ligaturâ tum venæ tum ductus thoracici.

**CCCXXVIII.** Quomodo chilus contra proprium pondus totam longitudinem hujus canalis per-

currat intelligitur ex dictis. Vires modò assignatae (326) chylum ulterius promovent, cum novus semper adveniat & resorbeatur. Post mortem animalis, adhuc per aliquod tempus, agit hæc vis suæ fætoria, ita ut pellucida fiant vascula quæ lachæta fuerunt. Favet admodum valvularum dispositio. Aliquid addit vis comprimens diaphragmatis & alternus inspirationis & exspirationis motus. Quo fine verò ad tantam distantiam feratur chylus, explicat miscela copiosissima lymphæ ex massâ humorum secretæ & elaboratæ, quæ in toto illo tractu cum ipso miscetur, ut liquidior semper & magis homogeneus evadat, facilis sanguini admisceatur, & animalem naturam adipiscatur. Hic est totius chylificationis finis, quo opere ex tot & tam heterogeneis succus dulcis, blandus & homogeneus per propriam combinationem conficiatur sanguini affundendus. Extrà tempora digestionis, lachæta vasa lympham de intestinis resorbent & pelluent; ductus verò thoracicus lympham abdominalis & ferè totius corporis ad sanguinem reducit.

## C A P U T   X X I I .

*De Generatione.*

**CCCXXIX.** **H**OMO ex homine generatur, post cooperationem peculiarium utriusque sexus organorum. In masculino nempe corpore secretus quidam liquor per definita organa ad fœminæ uterum dicitur, recipit eumdem fœmina, inde vitam accipit tertium ens quod in utero per spatium novem mensium degit, & grandescit vitam peculiarem habens; post

illud tempus fœtus in lucem editur, fiunt tunc aliquæ mutationes in fœminâ, ad prolis nutritionem. Hæc sunt intricatissima mysteria nunc nobis indigitanda. Eum ordinem in re tam complicatâ insequemur quem refert phænomenorum series in utroque sexu, à primo generationis principio usque ad totam fœtûs separationem à matre.

## S E C T I O P R I M A.

*De partibus genitalibus masculis.*

CCCXXX. Testes humani duo numero, ad ovi figuram accedentes, voluminis parùm variabilis, intrà peritonæum in tenero foetu contenti, dein in inguen sensim descendentes & sub inguine in plenâ ætate positi, sunt primaria generationis organa. Variis involucris defenduntur nobilissima illa instrumenta; primum ipsis circumponitur scrotum quod est saccus magis vel minus laxus, ex cute tenui, pilis & rugis obsitâ compositus. Linea media ab ano protensa notatur quæ raphe dicitur. Cellulosa interior tunica dartos vocatur. Licet fabricam muscularè non videamus, motum aliquem elasticum à frigore & venere habet; unum sacculum distinctum pro unoquoque teste efficit. Post darton testi adhæret cremaster musculus ortus præcipue à fibris descendantibus obliqui minoris, in vaginam tenuem rubram expansus, testem amplectitur, & illi motum aliquem conciliat. Post ipsum sequitur tunica vaginalis ex cellulofo textu conflata. Inter eam & sequentem vapor exhalat, & aqua aliquando colligitur. Intima tunica, seu albuginea, robusta est, alba, ex cellulosâ stipatâ constat, testem proximè coërcet; ille additamentum aliquod habet supernè transversim positum quod epididymis dicitur.

**CCCXXXI.** Ad testem venit arteria spermatica; illa ex aortâ immediatè sub renalibus utrinque exit, retrò peritonæum descendit, venæ congeneri sui lateris ad angulum acutum jungitur, celluloso peritonæi textu tecta illa duo vasa & in fasciculum involuta supra musculos psoas & ureteres transeuntia totam abdominis longitudinem decurrunt. In hoc decursu nonnullos surculos emitit arteria spermatica partibus vicinis prospicientes; aliqui etiam ab arteriis vicinis ramuli ad funiculum spermaticum veniunt; cum venâ congenere unita ad annulum abdominalem prodit anterius, ut de abdome exeat. Ille annulus nihil est nisi hiatus quem relinquunt fibræ musculi obliqui majoris ad inguina; hunc hiatum solum peritonæum tegit, per eum exit arteria spermatica ex abdome, textu cellulari qui tunicam vaginalem producit cum venâ congenere & vase deferente in funiculum spermaticum convoluta. Ita revincta hæc arteria ad scrotum descendit, surculos adhuc aliquos cremasteri, cellulosæ tunicæ propinans, in testis tandem intima plurimis ramulis terminatur ad quos injectio nunquam pervenit.

**CCCXXXII.** Vena spermatica majoris diametri ac arteria, multiplici radice ex teste nascitur, dein ascendit, funiculo spermatico revincitur, in varios ramulos dividitur sub eodem involucro cum arteriâ latitantes, qui ramuli inter se communicant. Alii adhuc ad partes vicinas se distribuunt. Plexum constituunt illæ anastomoses, corpus pampiniforme dicimus. Anastomoses inter arterias & venas in hoc decursu aliqui vidisse afferunt, sed illas anastomoses sanguinem ab arteriâ ad venam ante testiculum deferre non videtur. Ramuli venosi ex utrâque parte facescunt in unum truncum qui dextrorum in venam cavam,

sinistrorum verò in venam emulgentem aperitur. Nervi ad testiculum veniunt, alii à plexu renali, alii à plexu mesenterico inferiori, alii ad involucra testis à lumbaribus procedunt. Lymphatica vasa in testiculis adhuc aliqui viderunt.

**CCCXXXIII.** Arteria spermatica testem subiens in inumeros ramulos dividitur, ex quorum extremis ramulis prodeunt vasa exilissima, albantia quæ in glomerulos flectuntur; illos glomeres separant & sustinent albugineæ tunicae productiones numero plures. Conficiuntur hi glomeruli ex tenuissimis vasis secretoriis proprio modo contortis & compositis; desinunt in substantiam quandam spongiosam, albantem quæ à centro ad supremam testis partem protenditur, cum tunica testiculi validè cohæret, & corpus Hygmo dicitur. Ex corpore illo prodeunt plures ductus qui trajiciunt densissimum testis involucrum, & sensim in unum vas coëunt quod in dorso testis contortum & plicatum epididymidem constituit.

**CCCXXXIV.** Ex epididymide prodit anterius vas crassitie & soliditate conspicuum, deferens nuncupatum, quod eâdem vaginâ cellulari exceptum cum arteriâ & venâ spermaticâ, ad inguina ascendit, & per eumdem obliqui minoris annulum in abdomen admittitur, retrò vesicam urinariam se defert, posticæ ipsius cervicis parti affixum iterum reflectitur, & sensim ampliatur in receptaculum quoddam cellulosum vesicæ parti inferiori adhærens, supra intestinum rectum positum; vesiculas seminales dicunt. Habet utraque unum canalem emissarium in urethrâ patentem prope eminentiam, caput gallinaginis, seu veru montanum dictam.

**CCCXXXV.** Eodem loco ubi patet in urethram exitus vesicularum seminalium, circumnascitur ure-

thræ glandula prostata quæ nucis juglandis magnitudinem adæquat. Densissima est ac solidissima, & quamvis fabrica conglomerata non valdè visibilis sit, ex pluribus folliculis unitis creditur composita, siquidem plures distinctos emissarios habet hiantes in urethram, qui cingunt exitum vesicularum seminalium. Succum album, subspissum & ab alcohole vini coagulabilem fundit hæc glandula.

**CCCXXXVI.** Communem viam quâ è corpore excernatur habet semen cum urinâ, urethram nempe, quæ est canalis à vesicæ collo continuus ad extremum usque glandem, inter ossa pubis discedentia, sub corporibus cavernosis situs; eum statim in principio ambit prostata, post eam membranosus factus hic canalis, spatium pollicis decurrit, binis membranis quibus conflatur textum spongiosum includit, qui initio crassior bulbum urethræ constituit, hinc ad anteriora penis perveniens crassescit, reflexus format glandem. Hujus canalis membrana externa est cellulosa, interna verò sensibilissima supra superficiem glandis continuatur, sub quâ latent papillæ nervosæ copiosæ sensibiles admodum. In canali urethræ plurima patent oscula folliculorum blandum humorem eructantia quo lubricatur. Ductus peculiares vidit & descripsit *Cowperus*, qui propriis meatibus propè bulbum aperiuntur. Lacunas adhuc plurimas habet hic canalis, ex quibus aliquis humor funditur. Sunt & suprà coronam glandis glandulæ suis ostiis humorem peculiaris odoris fundentes.

**CCCXXXVII.** Ad penis virilis compositionem adduntur urethræ duo alia corpora quæ potissimum molem & firmitatem ipsi conciliant. Cavernosa dinempe, ossibus ischii per densam cellulofibrosam inserta, inde introrsum & ad se invicem accendentia coëunt

coëunt circa arcum cartilagineum ossium pubis; ex quo prodit ligamentum suspensorium quod radici penis implantatur. Urethram inferius positam habent, cum ipsius textu spongioso non communicant, & sine obtuso sub glande quæ illorum extremitates excipit, terminantur. Componuntur hæc corpora firmissimo involucro & textu celluloſo ſtricto quaſi spongioso quem crurore infarctum reperimus. Eorum unio efficit septum medium riuiis parallelis pervium, quarum rimarum beneficio inter ſe communicant corpora cavernosa; hoc septum ſenſim imminuitur, & prope glandem evanescit, ubi corpora cavernosa intimum uniuntur. Firmâ & validiſſimâ tunicâ donantur, quâ fit ut ultra debitam magnitudinem minimè extendi valeant.

**CCCXXXVIII.** Ambiuntur adhuc hæc cavernosa corpora multâ tenerrimâ cellulosâ telâ cum illâ ſcroti continuâ, & cute tenui quæ ubi prope glandem pervenit, refleſtitur ut liberè ſupra eam moveri poffit, ſub glande tamen per frænum retinetur. Quatuor muſculis instruitur penis, nempe binis ischio-cavernofis qui oriuntur à tubere oſſis ischii, infra ortum corporum cavernoforum quibus inſeruntur, & binis bulbo cavernofis qui originem mutuantur à sphinctere ani & tendine medio muſculorum transversorum, atque totum urethræ bulbum ambientes corporibus cavernofis implantantur.

**CCCXXXIX.** Sanguinem ad illas partes afferunt plures arteriarum hypogastricarum & cruralium diſſiones. Pudendæ dicuntur, una interna ab hypogaſtricâ procedit, ad veſicam, veſiculas ſeminales & proſtatam proſpicit. Altera pudenda media diſta, ex ramo hypogaſtricæ prodiens, hæmorrhoideam exter-nam primò mittit, dein ſecundūm ramum anteriorem

ischii & retrò corpus cavernosum progrediens, ligamentum suspensorium penetrat, ad dorsum penis & partes vicinas distribuitur. Pudenda externa à crurali oritur prope ligamentum inguinale, tegumentis præcipue prospicit & cum pudendâ mediâ pluriè inosculatur. Venæ in universum arteriarum similes ad hypogastricas tendunt, multiplices verò anastomoses & divisiones constituant, externæ ad cruralem veniunt, & cum internis in plurimis locis communicant. Vasa lymphatica aliqua dicuntur sub cute penis decurrere. Nervi ab intercostali & lumbaribus ad testes veniunt, à lumbaribus & sacris plures propagines habet penis.

## SECTIO SECUNDA.

*De Semine.*

CCCXL. Semen est fluidum album, mucosum quasi, aquâ ponderosius, virtute quâdam prolificâ & germinante imprægnatum, in testibus præparatur ad similis animalis generationem. Huic miscetur in excretione alias liquor blandus, copiosus, in prostatâ secretus, vi prolificâ carens, ad semen crassius diluendum additus. Nerveum liquorem, seu spiritum huic admisceri multa probant. Semen secerni solet tempore pubertatis, circà quod adolescentes ingentem experiuntur mutationem, non solùm ratione vocis gravioris & pilorum quibus mentum & pubis exornantur, sed etiam ratione virium mentis & corporis.

CCCXLI. Semen si experimentis subjiciatur, aquam gravitate specificâ superat, si variis liquoribus misceatur, mutatur ferè ut mucus; sed microscopia docuerunt totum hunc liquorem in homine, & omni alio animale benè valente, scatere particulis minimis,

oblongis, anguillulæ similibus, rapido & indesinenter motu agitatis. Tantâ tenuitate donantur & tanto numero sunt, ut ultrâ decem millia in seminis guttulâ observarint inventores, animalcula spermatica dixerunt. Diversimodè in suo liquore torquentur, atque pisciculorum instar huic fluido innatant summâ sanè velocitate. Tertio post obitum die, in semine collecto intra vesiculos semifinales, vel ipsas epididymides, viventia conspicuntur, imò eorum vitam ad septimum usque diem, aliquando longius productam afferunt, si homo è quo educitur benè valuerit. Citiùs pereunt in lento morbo defunctis. Præterea hæc animalcula non reperiuntur in semine eorum qui vel pueritiam, vel extremam senectutem agunt, vel quâvis causâ ad venerem tardi existimantur, in ultrâ modum libidinosis, non secùs ac in lue venereâ affectis parciori copiâ vel languidiora observantur, in liquore prostatico deficiunt. Inde varia systemata effinxerunt varii, in illis corpusculis vivis latere rudimentum fœtûs existimantes.

**CCCXLII.** An pro vivis animaliculis semini propriis haberi debent hæc corpuscula? ita æstimabat *Leuwenhæckius*, siquidem progrediuntur, ad rectam sedem tendunt, sibi occurunt, suam viam sequuntur, caudas ad serpentum modum vibrant, in limpido humore expeditè natant, languent in gonorrhæâ, vitam trahunt aliquandiu in bene valentibus. Indè de verâ naturâ animali non dubitant inspectionibus microscopis edocti post *Leuwenhæckium* *Valisnerius*, *Hartzeckerus*, *Boerhaavius*, *Kaauw*, *Maupertuis*, *Spalanzani*, *Hallerus* eos pro nativis feminis hospitibus habent. Negarunt *Clariss. Needham & de Buffon* cum affeclis, qui machinas in semine calmarii evidentissimas & mutabiles postquam distinxerint, in minibus ve-

getabilibus & animalibus ejusdem generis corpuscula ;  
sed diversimodè figurata vidisse afferunt. Hæc sunt,  
si illis credamus, moleculæ organicæ ex omnibus par-  
tibus animalis reduces, ad suos archetypos efformatæ  
quorum imaginem ferunt. Ita finxit vir ingeniosissimus  
has moleculas vegetabilibus & animalibus communes  
in unoquoque modulo efformari, inde materiam alen-  
tem generari, ejus verò materiei quod superfluum est  
certâ ætate remitti in testes, tanquam in receptaculum  
ad generationem. Tamen similia corpuscula in urinâ,  
sputo, salivâ, sanguine, lacrymis muco reperiri, &  
in ipsis spadonibus non deficere nuperi testes sunt.  
In animalium decoctis, in vegetabilium infusis, in  
liquore pluviali & aliis plurimis liquoribus similia adhuc  
alii observarunt, ita ut hæc animalcula pro seminis  
nativis incolis ab aliquibus accipientur.

## SECTIO TERTIA.

*De secretione & excretione seminis.*

CCCXLIII. Ex anatomicis patet semenis secre-  
tio. Quippe arteria spermatica sanguinem paucum  
maximè retardatum ad testiculum dicit, ibi conti-  
nuatur in vascula tenuissima non amplius sanguinem  
habentia, in glomerulos contorta. Per has angustias  
secernitur semen ; in epididymidem per ductus exilissi-  
mos & anfractuosos venit, unde per vas deferens  
latius ascendit ad vesiculos seminales, dum sanguis  
residuus per venas congeneres ad cavam dicitur. Quàm  
lente illud spatium percurrere debeat semen intelligent  
qui ad vasorum secretiorum angustiam, longitudi-  
nem, decursum serpentinum, venarum congenerum  
amplitudinem attendunt, & qui ductuum seminife-  
rorum gyros innumeros, epididymidis flexiones, ca-

nalis deferentis ascensum, diametrum & curvaturas estimant. Inde patebit illud liquidum in tot & tantis recessibus lentissimè foveri & elaborari; aliquid in toto illo decursu per minima vasa nervosa accedere & etiam per vasa absorbentia resorberi non dubitamus.

**CCCXLIV.** Causam hunc liquorem promoventem intrà vasa ultrà conceptum tenuissima, & contrà proprium pondus ad tantam distantiam à corde vix possumus expectare à circulatione; saltem cum ipsius energiâ valdè confert vis suatoria capillarium & activitas organica in his instrumentis generationis evidentissima. Ex teste per ductum deferentem ascendit semen, tum à succedente novo semine propulsum, tum vi cremasteris musculi, vel organicâ energiâ excitatum. Hanc secretionem quippe accelerat cupidus venerea, vel stimulus huc delatus, dum in anfractus cellulosos vesicularum seminalium recipitur, ibi adhuc reconditur, colligitur, quiescit, crassescit & in summam perfectionem elaboratur semen, ita ut nullus humor tantâ tarditate gignatur, nec tot viis retardetur, aut quiescens ita foveatur.

**CCCXLV.** Semen in vesiculis collectum, partim per vasa bibula resorbetur, in sanguinem reddit & singulares effectus in œconomiam animalem edit, non solum in hominibus, sed in omnibus animalibus visibiles. Talia sunt pubertatis phænomena, & diversitates in spadonibus omnium generum visibles, ac in illis qui venere abutuntur. Vim omnibus organis conciliare videtur liquidum istud; sed nimis retentum etiam incommoda adducit. Excernitur per urethram ex tentigine venereâ, ad quam erigitur penis.

**CCCXLVI.** Erectionem excitant boni seminis copia, libido venerea, objectorum lascivorum visus, memoria, imaginatio, meditationes circâ illa, somnia

de illis, frictio externa penis, maximè glandis, nervorum penis varia irritatio, aliquando in maniâ, in nonnullis nervosi generis affectibus, in aucto partium nervearum sensu, magna urinæ congestio in vesicâ, ligatura vel compressio venarum, sunt & medicamenta illi faventia. Causa hujus erectionis est certè sanguis hærens & retentus intra cellulas corporum cavernosorum & urethræ, inde enim distenduntur illæ cellulæ, molem & duritiem acquirit penis cum tensione aliquando validissimâ. Hoc demonstrant dissectiones, ligaturæ & plurima experimenta quibus aëris, liquor in illas cellulas pressus erectionem simulat.

**CCCXLVII.** Hujus hærentiæ sanguinis causam nunc repetere debemus, vel ab arteriis pleniori alveo sanguinem adducentibus, vel ab impedito refluxu sanguinis venosi. Quomodo major fiat influxus sanguinis arteriosi vix intelligitur; compressio venarum omnibus placuit, & omnes ad musculos erectores venas comprimentes confugiunt; sed docet anatome illos musculos nequidem ita posse comprimere has venas quæ alia effugia habent. Multò minus admittemus contractionem erectorum ad elevanda corpora cavernosa sufficere, illa potius deprimeret; tamen erectio facta inde potest sustineri.

**CCCXLVIII.** A contractione musculari non videtur pendere erectio penis quæ voluntati non obedit, dum illi musculi ab ipsâ reguntur; prætereà talem celeritatem non habet ac contractio muscularis, e contrâ successiva est, modò validior, modò minus valida: tandem exempla papillæ mammæ muliebris, palmaris in gallo caleutico, ruboris in facie ex affectu animi docent absque musculis fieri posse ut venæ sanguinem tardius resumant ac adfertur. Urgente nempe veneris æstu vel à quâlibet aliâ causâ, huc ruit vel

ibi retinetur major sanguinis copia ac quidem exit. An ab actione organicâ huc ruunt majori copiâ spiritus animales, nervi spasmo affecti venas coercent ut arteriores factæ minus sanguinis ad truncos reddant, & inde in textu celluloso corporum cavernosorum, ac urethræ & glandis hæreat, sensim rigescat penis ad maximam utilitatem?

**CCCXLIX.** Post validam erectionem magis vel minus continuatam, sequitur seminis ejaculatio. Tunc enim papillæ sensiles glandis eriguntur, vehementissimè afficiuntur, præcipue si ad objecta venerea affracentur: inde oritur voluptuosus harum papillarum proprio sensu donatarum pruritus, maximè illarum quæ in glandis parte inferiori prope frænum sunt, ex illo pruritu, motu quodam spasmodico afficiuntur membranæ vesiculas seminales, & prostratam ambientes, proprio orgasmo exprimitur liquor seminalis & prostaticus summâ cum voluptate quæ omnia animalia ad coitum allicit. Semen pleno alveo recipit dilatata urethra & rigida, tunc agentibus musculis bulbo cavernosis constringitur ille canalis, magnâ vi semen foras ejicitur. Post spasmus ejaculatorium quiescit nervorum tumultus, sedatur spirituum animalium fluxus, sanguis de pene per venas recipitur & jam flaccescit. Exinde eruuntur incommoda quæ ex emissione seminis nimis frequenti eveniunt.

#### S E C T I O   Q U A R T A.

##### *De Partibus genitalibus fæmininis.*

**CCCL.** Prima oculis offertur rima longa, pudendum seu vulva quæ in parte inferiori aperta exhibet orificium vaginæ. Partes laterales hujus rimæ sunt eminentes, pilis & adipe obsitæ, labia dicuntur. Hæc

rima superpositam habet in pube aliquam eminentiam pinguedine substratâ tumidam ac crinibus obsitam certâ ætate, mons veneris vocatur. Inferiùs terminatur in virgine per plicam seu frænulum, & pergit in lineam quæ ad anum terminatur, perinæum vocant. In hujus rimæ parte superiori organum quoddam prominet glandiforme exquisitiori sensu præditum, quod cute ut plurimùm tegitur & clitoris nuncupatur. Binis corporibus cavernosis, non secùs ac penis virilis conflatur quæ desinunt in glandem: oriuntur hæc corpora ab infimâ parte ossium pubis, distincto principio, & demum unita efformant illud corpus teres quod nonnunquam nimiâ proceritate hastam virilem mentitur, & huic valdè analogum est, cum eo tamen discrimine quod glans clitoridis sit impervia. Suis etiam donatur musculis clitoris, nempe binis ischio-cavernosis qui è processu anteriori ossis ischii orti, corporibus cavernosis inferuntur, & binis, ut inquiunt, constrictoribus, vel sphinctere vaginæ qui à sphinctere ani & tendine medio ab ano ad vulvam excurrente originem dicit, & plexui retiformi utrinque incumbit, clitoridis corpori & cruribus implantatur.

**CCCLI.** Infra clitoridem aperitur urethra. Ex ipsius orificii lateribus propendent binæ carunculæ à cute clitoridis & ab ipsâ ejus glande incipientes, cristis gallorum similes, modò majores modò minores, interiori labiorum lateri appensæ, cellulosâ turgescibili fabricâ conflatæ, plurimis sebaceis glandulis utrinque obsitæ, nymphæ dicuntur, quasi aquas ex meatu urinario profluentes dirigerent. Papillis nerveis copiosis & subtilissimis donantur illæ partes, præcipue clitoris. Infra urinæ meatum occurrit vaginæ orificium modò angustius, modò latius: illud in junioribus virginibus incorruptis membranâ circulari quâdam in medio per-

foratâ ut plurimū clauditur , integra hæc membrana hymen nuncupatur , aperturâ majori vel minori donatur ; ubi verò coitu vel aliâ quâvis causâ disfrumpit , partes dilaceratæ , carunculæ myrtiformes audiunt , tres quatuor aut quinque quæ post partus aliquando oblitterantur.

**CCCLII.** Vagina quæ ad partes internas refertur , est canalis membranaceus , obliquè positus , rugosus , extensilis qui à prædicto orificio ad uteri cervicem quam amplectitur protenditur . Anterioris ipsi insidet vesica , posterioris subiectum est rectum , per cellulosam ipsis partibus adhæret . Componitur ille canalis ex crassâ cellulosâ & extensili cellulosâ telâ , quæ in plures tunicas à nonnullis dividitur , inferius circumvolvit textu quodam spongioso quem vasa perreptant , plexus retiformis dicitur . Hunc textum cellulosum tegit epidermis & sensiliis admodum cutis cuius interna facies plurimis rugis , præcipue in virginibus obsita est , quæ dein oblitterantur . Varii adhuc in illo canale observantur poruli , præcipue circa urethram , densiori agmine occurrentes , qui lacunæ audiunt & mucum lubricantem secernunt . Sunt & alii pori tenuiorem humorem fundentes . Fabrica hæc ad voluptatem & ad facilitatem expansionis facere videtur .

**CCCLIII.** Uterus ad quem terminatur vagina , est viscus cavum , situm in pelvi quam foemina ampliorem habet , inter vesicam & intestinum rectum quibus laxè adhæret : continuatione peritonæi tegitur ; formam habet in virginibus ad illam pyri complanati accendentem , cuius pars amplior superior fundus dicitur , pars inferior seu cervix cylindriformis intra vaginam descendit , & ibi aperitur rimâ transversâ tumidis labiis comprehensâ , dicitur ostium uteri internum , muco copioso obsitum est , Fabrica hujus

visceris intima videtur esse ex densâ stipata celulosa  
telâ, in quâ fibras musculares fundum præcipue occu-  
pantes, in gravidis, vel post partum facilius obser-  
vandas aliqui viderunt, & plurima demonstrant. In  
hoc textu reptant etiam vasa multiplicis generis. Craffi-  
tiem sat notabilem habent uteri paries qui in gra-  
viditate, licet extensi, non minuuntur. Membrana  
interna uteri vix distinguitur; adeo tamen aliqua epi-  
dermidis continuatio, villosa quasi, & flocculenta  
præcipue in fundo uteri. Cervix tota aspera est,  
rugis & plicis copiosis obsita, in quarum intervallis  
sinus mucosi sunt notandi; aliqui viderunt bullulas muco  
plenas quas ovula dixerunt, sed in omni tempore,  
in graviditate magis, muco copiosissimo lubricatur  
cervix & ipsius ostium.

**CCCLIV.** Uterus binis in suo situ firmatur liga-  
mentis latis quæ à peritonæo oriunda, ovaria, tubas,  
ipsumque uterum lateraliter amplectuntur: duo sunt  
alia rotunda quæ è fundo uteri sobolescant, & per  
annulum musculi obliqui majoris qui in viris vasa  
spermatica admittit exitum sibi parant, atque ossibus  
pubis partim implantantur, partim ad inguina pergunt,  
ubi in adipe evanescunt. Ligamenta lata utero late-  
raliter & pelvi adhærent; supernè in duo foliola di-  
duntur quorum anterius latius tubam fallopii continet:  
hoc nomine designatur ductus quidam qui ex uteri  
fundo, sensim ampliatur, & desinit in fimbrias in  
abdomine fluitantes. Ad sex aut septem digitos pro-  
tenduntur illæ tubæ quæ paululum circa medium am-  
pliantur in semicirculum, versùs superiora flectuntur,  
ovariis ope ligamentorum latorum annexuntur, ex-  
cepto extremo fimbriato quod lacerum est. Harum  
verò tubarum fabrica videtur membranacea; externa  
membrana à peritonæo procedit, cum in duplicaturâ

lati ligamenti sedeant, interna verò rugosa penè reticulata, mucosa, aliquibus lineis quæ fibrosæ videntur in fimbriis præcipuè ornata est.

**CCCLV.** Ovaria sunt duo corpora oblonga, compressa, in posteriori ligamenti lati duplicaturâ sita ad latera uteri, duobus circiter ab illo transversis digitis distant, cum tubis conjunguntur per ligamenti lati expansionem quæ ala vespertilionis dicitur. Ad hæc ovaria deveniunt vasa spermatica quæ eandem originem & eundem finem habent ac in viris, unde testes fœmininos aliqui dixerunt. Substantia verò difficilè describitur ; est nempe alba, cellulosa, stipata, absque adipem, plurimis vasis intertexta. Suprà ipsorum superficiem in virginibus maturis & fœminis secundis, reperiuntur minimæ bullæ rotundæ membranâ pulposâ factæ quæ coagulabili lymphâ replentur. Ova dicuntur quæ in aliis magis vel minus perfecta creduntur : horum corporum maximam dignitatem in conceptu æstiment omnes.

**CCCLVI.** Arteriæ quæ enumeratis partibus prospiciunt prodeunt 1º. Ex aortâ quæ binas arterias spermaticas non secùs ac in viris mittit ; illæ ad ovaria & ad partes vicinas distribuuntur, ad uterum etiam alias propagines mittunt. 2º. Ab hypogastricis quæ ad uterum & vaginam præcipuè se distribuunt. 3º. Ab hæmorrhoidalibus externis quæ partibus externis præcipuè prospiciunt. Omnes hæ arteriæ ita inter se communicant, ut si liquores in unam earum quamcumque injiciantur, aliæ etiam facile repleantur. Venæ quoque triplicis generis arteriis correspondent, licet illis longè ampliores sint & numerosiores, valvulis carent & pariter inter se communicant ; desinunt in venam cavam, in venam renalem & iliacas internas, sinus quosdam in suis unionibus

constituunt in utero gravido notabiliores , appendices venosos in fœminis gravidis vedit Clariss. *Astruc* , & pro cœcis saccis descripsit. Lymphatica vasa in utero plurimi vidisse afferunt. Nervos ex plexu renali , alios ex mesocolico , alios à trunco intercostali , nonnullos tandem à spermaticis & nervis sacris accipiunt , ita ut non mirum si acris sensus hæc sit sedes.

## S E C T I O   Q U I N T A.

*De Menstruis.*

**CCCLVII.** Ab ineunte adolescentiâ ad limen usque senectutis , periodicum fluxum sanguineum singulis ut plurimùm mensibus recurrentem è genitalibus patiuntur fœminæ. Hujus fluxus hæc sunt phœnomena. Circà annum ætatis duodecimum , vel decimum tertium , aliquando citius mammæ elevantur & pubes efflorescit , eodem tempore menses fluere incipiunt ; antè hunc fluxum humor serosus , albicans effluit , molimina varia in lumbis , dolores gravativi , colici , cephalalgiæ , febriles insultus non raro puellas affligunt , post variam horum symptomatum durationem , vasa flocculenta uteri quæ hactenùs serum in uteri caveam deponebant , nunc incipiunt sanguine turgere , & ipsum rubrum cruentum in uterum exhalare. Hic cruentus per tres , quatuor aut quinque dies stillat usque ad unciarum sex vel octo effluvium , quod aliquando minus , aliquando copiosius est. Remittunt interim incommoda priora & sensim contracta vasorum uteri ostiola solitum nunc serum stillant , intervallis in virgine tenerâ incertis , sensim autem ad quartam septimanam exeuntem contractis , redeunt eadem molimina , succedit idem sanguinis fluxus , & ille fluxus periodicus ad quinquagesimum circiter annum perdu-

rat. Variis causis ad temperamentum, diætam, regionem, morbos referendis, citius vel tardiùs invadit, citius cohibetur vel tardiùs producitur, copiosior redditur vel imminuit & supprimitur, ad sanitatem conservandam admodum confert, in gravidis supprimitur & sæpius in lactantibus. Ad tardam usque senectutem perdurasse, & post suppressionem rediisse testes sunt.

**CCCLVIII.** Hunc sanguinem ex ipsius uteri vasis stillare demonstravit autopsia in fœminis eo fluente extinctis, in vivis mulieribus quibus uterus inversus sanguinem ex ostio interno destillavit; confirmat natura uteri vasculosa, mollis, spongiosa, superficies ipsius interna flocculenta, poris innumeris pervia, injectum liquorem facile destillans, lochiorum membranibus analogorum ex utero fluxus; exsanguis e contrâ, non ita vasculosa, minimè flocculenta, sed callosa, tot poris non pertusa videtur vagina: ex illo canale tamen etiam erumpere non diffitemur, & certè per illam solam menstrua erupisse plurima demonstrant. Laudabilem verò in sanâ fœminâ & mundâ esse hunc sanguinem, non diversis vitiis infectum credimus, sed stagnatione sæpius fœtorem contrahit. An verò ex arteriis, an ex venis fluant menstrua, dictu difficile est; potius tamen ex arteriis quam ex venis suadet facilior ex illis exsudatio.

**CCCLIX.** Cum nullum animal, exceptis simiis aliquibus, menses patiatur, et si aliqua bruta sanguinem de genitalibus in tempore annuæ veneris stillare dicantur, & cum masculum corpus ab eâ excretione periodicâ liberum sit, valdè omni tempore quæsitum est quæ causa sit hujus hæmorrhagiæ fœmininæ. Lunam adtrahentem ab omni tempore accusaverunt aliqui, sed nullis phasibus certò respondere constat. Fermenta in

utero alii supposuerunt, sed horum jam diu regnum exolevit. Alii & egregii viri plethoram universalem in foeminino corpore pro causâ fluxûs menstrui admittunt. Hujus plethorae causam assignant laxam foemini corporis temperiem & debilem habitum, virium debilitatem, vitam otiosam; inde à minus repetitis contractionibus solidorum fluida minus atteruntur, per transpirationem minus dissipantur, iisdem legibus coercentur cæteræ excretiones, hinc evacuationes ingestis haud respondent, & plethora nascitur. Cur vero ad uterum determinetur ille sanguis abundans sic explicant ingeniosè. In amplâ pelvi situs est mollis, pulposus uterus, ab omni pinguedine & corpore celluloso liber, exiliорibus tunicis donatus, totus quasi vasis constat quæ serpentinis, contortis & implicatis ductibus mirè ludentia, ad extensionem prona, minus renitentia, variis inosculationibus coëuntia, valvulis destituta, ad perpendicularē situm accendentia, sanguinis congestionem facilè patiuntur, & ita sanguis redundans per venas uteri & vaginæ potius quam per vasa cæterarum partium foras erumpit. Postquam autem per sanguinem de utero excretum minuta est plethora, tum vasa minus distenta se contrahunt proprio labore in minorem diametrum, angustata non amplius dimittunt sanguinem, & sic sensim ad solitam angustiam redeunt oscula, donec ab iisdem causis ortâ adhuc pleniorâ denuò dilatentur, simili temporis intervallo. Confirmant hanc sententiam ex eo quod gravidæ, lactantes, viragines, mulieres duriori fibram compage donatae, aut magis siccæ, valido labore exercitatæ minus & tardius humorem menstruum excernant, dum moliores, pingues, otiosæ hunc copiosorem & frequenterem dimittant: explicant etiam cur certo ætatis tempore demum incipient, augeantur

& desinant, cur suppresso illo menstruo fluxu, suppleant variæ hemorrhagiæ, & ex ejus suppressione tot & tanta incommoda frequentius nascantur.

**CCCLX.** Hanc plethoram generalem pro menstrui fluxus causâ plurima refutant. Frequenter accidit ut puellæ jam ordinatam periodum menstrui fluxus experientes insigniter posteà crescant. Dantur molles viri & phlegmatici, vel sanguinei qui nullum talem fluxum patiuntur, licet plethorici; validæ verò & robustæ puellæ hanc legem non effugiunt. Nihil demonstrat in sanissimis puellis fieri per totam periodum talem accumulationem. Præterea si hœc plethora vera esset hujus fluxus causa, per diætam, per varias hemorrhagias aut venæ sectiones retardaretur, vel impediretur ille fluxus, sed raro exinde mutatur stata periodus, imò aliquoties e contrà acceleratur. Neque liquet quomodò paucæ guttæ sanguinis per uterus emissæ magna symptomata auferant quæ venæ sectio copiosa non potest auferre. Notandum adhuc quod debiles, ægræ, phtisicæ, omnino exsangues, minimè plethoricæ fluxum illum aliquando copiosiorem experiantur. Præterea cur ad uterus determinetur hœc plethora generalis non intelligitur. Situs uteri non dat difficultorem redditum ac ex aliis partibus inferioribus. Erectus nihil facit fœminarum incessus, cum in lecto decumbentes fœminæ aliquando copiosissimum experiantur. In puellis soliditatem & firmitatem illi aliorum viscerum æqualem possidet uterus.

**CCCLXI.** His ratiociniis evicti nuperi Physiologi plethoram utero propriam admiserunt. Hujus rationem posuit *Hallerus* in vasorum hujus organi diametro, plicis & resistentiâ. Constat inquit per experimenta à Celeb. *Vintringham* facta, arterias uteri per amplas esse, maiores & laxiores quam alibi, venas verò

minùs latas & firmiores quàm in aliis organis, inde sanguis uberiùs & celeriùs in uterum advenit, sed difficiliùs redit & vasa uteri distendit. Ante nativitatem minor copia sanguinis ad inferiora traducitur, quàm edito in lucem fœtu, tunc clausâ viâ umbilicali sensim extenduntur vasa uteri & maximam diametrum acquirunt in adultâ puellâ vasa quæ in fœtu minima fuerant. Plus ergo sanguinis eo tempore in uterum & organa vicina advenit. Quando verò incrementum cessavit, in utroque sexu plethora nascitur, inde phænomena pubertatis. In fœminis ea plethora facilem viam invenit in utero ex multiplici causâ. 1.º Pondus eò sanguinem dicit. 2.º Uteri vasa ampla sunt, in loco laxo, facilè extensilia & exhalantia. 3º. Arteriæ aliarum partium magis resistunt. 4º Lentescit sanguis ob vasorum serpentinum flexum & faciliùs moratur. Ita statò tempore periodico excernitur crux quoisque diametrum suam recuperaverint vasa uteri. Desinunt menstrua quando uterus eam firmitatem affecutus est quæ à vi cordis sanguinem arteriosum impellente superari nequit. A brutis animalibus menses absunt ob uteros membraneos excarnes & firmiora vasa quæ faciunt ut nulla hæmorrhagia ipsis familiaris sit. Absunt à viris, quòd nullum in pelvi organum nacti sint spongiosum, & retinendo sanguini aptum, tum quòd arteriæ pelvis in viris duros ratione venarum & minores sint, impetus adeò sanguinis in arterias artuum avertatur quorum etiam majora in viro incrementa sunt *Haller prim. lin. § 860. & sequent.* Hanc ingeniosam explicationem premunt difficultates adversùs plenoram universalem propositæ, & hæc diversa vasorum ute- rinorum diameter non fuit demonstrata.

**CCCLXII.** Aliam rationem plenoræ uteri proposuit

posuit Doct. *Astruc.* Vasa nempe lactea vel vermicularia numerosa, si ipsi credamus, ad latus sanguineorum in textu hujus visceris decurrent, haec post pubertatem lympham lacteam secernunt cujus pars viscidior congeritur, & exinde ita distenduntur ut venas vicinas comprimant, illae compressae suum sanguinem expriment in appendices venosas, unde sanguis effluit, venae in vasa lactea reagunt, liquor in illis contentus cum sanguine menstruo erumpit, & evacuantur illa vasa quoisque tollatur compressio lateralis per eandem causam dein renascens. Illud ingeniosum systema plurima phænomena accuratè equidem explicat, sed plura supponit in uteri fabricâ nondum demonstrata, & non intelligitur cur hæmorrhagiæ in aliis locis evenientes aliquando fluxui menstruo suppleant.

**CCCLXIII.** Hæ hypotheses, cum Clar. *Lecat* non satisfacerent, aliam proposuit. Spiritum supponit quemdam organis foemininis proprium qui phlogosim voluptuosam unoquoque mense excitat per fermentationem propriam putridam, quæ evacuationem ciet. Hic spiritus à nervis uteri præparatur, & alias delatus multa phænomena explicat in statu morboſo. Talis sententia vix refutationem meretur, cum omnibus legibus oeconomiæ animalis & observationi adverſeſtur. *Vid. Journ. de Med.* 1764. Omnia ratiocinia mechanicorum rejiciens Clariss. *de Bordeu*, actionem organicam uteri certo tempore ad excretionem promovendam agentem accipit, *Recherches sur les glandes*, § cxxvij, excretionemque sanguinis menstrui cum illâ aliorum liquorum excretoriorum comparat, & analogam credit; quæ explicatio, si speciosis ratiociniis mechanicis & hydraulicis non fulcitur, observatis ex statu fano & morboſo depromptis & exemplo aliorum organorum confirmatur.

**CCCLXIV.** Si certam igitur fluxūs menstrui theoriam nondum reddere possint .Physiologi, ipsius phænomena & utilitatem saltem expendant. Hunc fluxum accelerat major copia sanguinis, rarefactio, ejusdem determinatio ad uterum, motus in sanguine incitatus; mensibus suppressis supervenit plethora, chlorosis, unde mala innumera; illis malè supplent variæ hæmorrhagiæ: superabundans igitur sanguinis quantitas, saltem in utero, est vera hujus purgationis causa. Ipsius excretio ab actione organicâ pendere videtur: quippe uterus multò majorem sanguinis copiam accipit ac pro nutritione necessaria est. Utilitas forsitan est, ut singulare illud viscus in aliquibus circumstantiis possit extendi, & cum fetu quem continet crescere. Ab aliis visceribus ideo differt uterus, quod per orgasmum certo intervallo sanguinem excernat, ut ad dilatationem semper pronus & gestationi accommodatus sit. Aliquid simile offert fluor ille subcruentus qui ex pudendis & utero belluarum distillat, ubi æstu venereo certis temporibus stimulantur; an idem est in fœminis quas certâ ætate & continuo ad generationem paravit natura? Magnam inde utilitatem habet fluxus ille periodicus, ut suo tempore foret parata opportunitas utero distendendo & fetui nutriendo; inde deficiunt menstrua in graviditate, inde fœcunditatis vulgo signum est ille fluxus, & prodit quandiu corpus aptum est concipiendo & nutriendo fetui. Cur præcisè ad mensis spatum rebeat, nemo potest dicere. Narratur in Brasiliâ integras gentes illo fluxu carere. Varietates quas offert ille fluxus in statu præternaturali non explicamus.



## SECTIO SEXTA.

*De Conceptu.*

**CCCLXV.** Invitata fœmina cupidine voluptatis marem admittit, vir in amplexus ruit, ut juxta sanctitas à Creatore leges, semen virile in testibus elaboratum, intrà vesiculas coacervatum, in sinum mulierem effundatur. Rigidus nempe & turgidus penis intrà vaginam adigitur, atque post crebras molitaciones & quasi subsultus epilepticos voluptuosos, evibratur semen virile per contractionem muscularum bulbo-cavernosorum. Hujus cupidinis particeps fœmina, voluptatis illecebris non minus ad hunc actum cogitur; ubi enim orgasmo veneris afficitur, impedito sanguinis venosi reflexu, turgent illæ partes, clitoris nempe, nymphæ utraque, & plexus totam vaginam ambiens cum musculo constrictore vaginæ, penem arctius amplectuntur. Eriguntur harum partium papillæ sensiles admodum, præcipue in clitoride & per attritum vel frictionem in convulsivam ac voluptuosa convulsionem excitantur, in salacibus fœminis maximè. Simul ex variis uteri & vaginæ lacunis, depluit in veneris æstu mucosus, lubricus liquor genitalia irrigans. Ejus fontes sunt folliculi mucosi prope urethram & in vaginâ copiosi. Cupidinis venereæ causa videtur esse stimulus nascens à semine retento in testiculis muscularum & in ovariis fœmininis, si quidem abscessis his organis, deficit hic stimulus, & à semine nimis retento nascuntur incommoda. Eos stimulus varia adhuc excitare possunt ex vitæ ratione & animi pathematibus desumpta.

**CCCLXVI.** Semen virile ejaculatum ad uterum venire plura evincunt. Docet longitudo penis & vis

ejaculationis; aliqui tamen contrarium afferunt & incisiones belluarum afferunt post venerem factas, in quibus semen in utero non reperitur. Addunt exempla fœminarum & animalium quæ conceperunt utero clauso, avium in quibus penis brevior ad uterum non penetrat, variorum tumorum qui os uteri claudentes conceptum non impediverunt, conceptionis factæ sine dilaceratione totali hymenis. Inde auram seminalem sufficere estimant. Tamen ex semine in uterum venit aliquid. Coitus in belluis est infecundus, ubi semen defluit de vulvâ; longitudini vaginæ correspondet illa penis masculini.

**CCCLXVII.** An verò fœmina proprium semen cum semine masculino miscet, ad conceptum? Admittebant veteres & plurimi inter recentiores confirmant: certè liquor aliquis mucosus ex glandulis ambientibus exprimitur, aliquando evidentissimus, sed in eo generationis materia non continetur. Sequentes verò mutationes certæ sunt; uterus in tentagine venerâ turgescit, tubæ ampliantur & turgidiores fiunt, eriguntur, ad ovaria applicant suas lacinias & illa amplectuntur: hæc phænomena sæpius oculis subiecta fidem merentur, licet in aliis circumstantiis non observata fuerint,

**CCCLXVIII.** In fœminâ masculo maturâ, ovarium habet alias vesiculos plenas humore limpido & coagulabili. In conceptu secundo, earum unam dicunt elevari, turgidiorem fieri, rumpi, manifestâque rimâ patere. Ibi nascitur post venerem caro floccosa primum, dein granulosa & quasi glandulosa, multis acinis & vasculis per cellulosam telam conjunctis composita, quæ caro in initio minima, sensim yulgò augescit ad cerasi volumen & intùs cavitatem sero turgidam gerit. Paulò post conceptio-

nem observatur hoc corpus luteum ; vulgo versus finem gestationis , non raro tardiū sensim diminuitur & solidescit , vel abolescit . Post gestationem cicatrices multiplices & numero fetuum proportionales observari dicuntur . Si igitur vesicula de superficie ovarii prominet & rumpitur , valde probabile est aliquid de eâ rimâ exire .

**CCCLXIX.** Certè in secundo congressu , tuba per venerein rigescens ovarium amplectitur , quid ex illo hauriat incertum est : constat tamen inde aliquid absorberi & aliquid ex semine virili huc deferri posse . An ovum humanum de ovario decedit ? Suadet analogia viviparorum cum oviparis ; aliqui vidisse asserunt & concludunt primum hominis hospitium esse in vesiculâ , uti pulli in ovo , eam vesiculam à corpore luteo , tanquam à calyce ovi gallinacei ali , per fibras musculosas ejus calycis propriumque nixum de ovario exprimi , à tubâ id ovarium amplectente recipi , porroque in uterus venire . Alii vesiculis ovarii hoc officium recusant & primordia novi animalis ibi contineri negant : dicunt nempe ova quadrupedum non ita ex ovariis elabi posse , tubas non ita recipere ovum propter angustiam , neque vesiculas respondere fetuum numero . Addunt vesiculam in ovario post conceptionem , aut in tubâ , aut in utero , non videri & ea quæ pro ovis accipiuntur esse meras hydatides . *Anatomie de M. Lieutaud , par M. Portal , Tom. 2. p. 313.*

**CCCLXX.** Multa tamen evincunt in ovario contineri , & ex illo venire primordia animalis . 1° . Analogia oviparorum cum viviparis . 2° . Dentes , ossa , fetus quidem qui in ovario reperti fuerunt . 3° . Fetus sæpius in ipsis tubis contenti , & ex tubâ in ventrem elapsi . Inde certè concluditur fetus ex ovario per

tubas in uterum venire. Hujus mechanisni difficultas rei veritatem non destruit, & licet ignoremus quomodo ovum in ovario mutetur per fecundationem, constat quod imprægnatum differat à non imprægnato. Hæc absolvuntur vulgò cum voluptate futuræ matris & sensu quodam motûs interni per tubam, & aliquando deliquii.

**CCCLXXI.** Circà vivipara plurimi experimenta instituerunt, & ex certioribus animalium vivorum post conceptionem factis incisionibus constat in primis diebus non nisi mucum informem magis vel minus solidescensem offerri, formamque aliquam embryonem non acquiri in specie ovillâ, nisi circà vigesimum diem, tardiùs forsan in humanâ. Embryonum verò humanorum historias varii observatores retulerunt, & ex illis constat prima stamina etiam molifissima sensim solidescere & formam humanam distinctam adipisci circiter ad quadragesimum diem; alii tamen citius, alii tardiùs hunc terminum posuerunt.

#### SECTIO SEPTIMA.

##### *De materia Fetus.*

**CCCLXXII.** Nunc difficillima solitu veniunt problemata, 1º. Unde materia novi animalis adveniat, 2º. Quibus causis ea materia in animal construatur. Tres in universum circa priorem questionem offeruntur opinione. Alii ex mare, alii ex feminâ, alii ex utroque parente materiam embryonis repetunt. Earum sectarum audiendæ sunt rationes, & si nihil certi potest confici, id quod magis probabile erit accipiemus.

**CCCLXXIII.** Ex commixtione utriusque seminis animal generari simpliciter dixit *Hippocrates*; ali-

qui in dextro teste mares , in sinistro fœminas generari addiderunt. Hanc sententiam experimentis & ratiociniis sic illustravit Celeberr. *de Buffon*. Est in rerum naturâ una materia bruta & inorganica, alia organica & activa. Hæc ultima compositioni & nutritioni omnium entium viventium, sive vegetabilium, sive animalium destinata, semper viva, semper activa , incorruptibilibus conflatur moleculis, ita ut nulla essentialis differentia inter vegetabilia & animalia intercedat. Nutritio illas moleculas in organica entia componit & adsimilat unicuique parti entis organici per *modulum interiorem*, in quo materies nutritia figuram propriam accipit. Eadem materies, ubi abundat ætate adultâ & superflua est, ad testes masculos remittitur, & in fœminis liquorem prolierum constituit. Semen igitur nihil aliud est in utroque sexu nisi aggregatum molecularum organicarum ab omni parte entis organici redeuntium, cum formâ interiori, seu dispositione ad partes similes construendas. Hæ verò moleculæ nimis activæ per se requirunt miscelam liquoris utriusque sexûs, ut figantur, & in unum corpus organicum coalescant quod refert sexum illius cuius moleculæ superabundant. Earum molecularum major copia facit gemellos, & ibi fit conceptio, ubi fit miscela utriusque liquoris.

CCCLXXIV. Alii à solo mare fetûs materiam repetunt, & in ipsius semine germen latere credunt; illi animalia natantia in semine pro primordiis novi animalis agnoscunt, unum inter tot millena in ovum aliquod penetrat, seu in vesiculam ovarii per foramen ibi apertum & valvulâ munitum, fovetur, nutritur, dum reliqua animalcula suffocantur. Non intelligitur in illâ sententiâ quomodo hybrides imaginem matris referant, neque nimia prodigalitas in effusione tot

animalculorum, neque natura horum vermium quæ dicuntur sui generis animalcula in primo vitæ instanti perfecta. Non explicatur ipsorum prima genera<sup>tio</sup>, neque eorum metamorphosis. Non dicitur cur in semine non crescant, unde reparentur, an generent sponte, quomodo per viginti dies ab ultimâ venere in gallinâ possint supereste vitales.

CCCLXXV. Tertia sententia materiam embryonis in fœminâ, seu germen fetûs, in ovo fœminino reponit. Hanc sententiam studet plantarum exemplum quæ in radice plantæ vel nodo arboris germen habent; evincunt insectorum exempla, magis adhuc avium in quibus fetus certè ad matrem pertinet, siquidem vitellus, qui cum pullo continuus est, ante fecundationem existit, *Haller format. du cœur dans le poulet*, t. 2. p. 187. Hinc ovum ad matrem pertinere concluditur, & in eo contineri primordia novi animalis. Huic hypothesi adversantur similitudo parentum, morbi hereditarii, conformatio<sup>n</sup>es irregulares à patre transmissæ, licet aliquando etiam non transfeant, animalia ex hybridum genere quæ patris & matris vestigia referunt, quin & in plantis hybridæ species etiam nascuntur; unde ab utroque parente aliquid in prolem transfire patet. A commixto tamen illo coïtu corrumpitur proles, mulus à patre asino tympanum laryngis habet & multa utriusque refert. Hybrides steriles sunt; quæ phænomena multas adhuc exigerent observationes.



## S E C T I O   O C T A V A.

*De formatione fetūs.*

**CCCLXXVI.** Ex his hypothesibus circā originem fetūs, suam quisque educit circā ejusdem formationem. Fortuitum atomorum motum nemo bonae mentis accipit. Generationem æquivocam omnes rejiciunt, cum demonstratum sit nullum animal absque parente nasci. Epigenesin aliqui afferunt, hanc epigenesin explicat *Needhamus* per successivam molecularum organicarum applicationem quam vis interna operatur. Totus nempe generationis mechanismus juxta ipsum pendet à vi quādam vegetatrice, productrice vel expansivā quæ continuò ad formationem entium organicorum tendit, quæ omnia materiæ puncta pervadens, illā ad vitalitatem elevat. Hæc obtinetur explicatis principiis activis. Hanc particularum materiæ ad vitalitatem tendentiam probat per innumerās infusiones, in quib[us] nascuntur corpora mobilia quæ neque ad vegetabilium, neque ad animalium classes referri possunt, sed ad eorum compositionem sunt apta; quippe animalis & vegetabilis substantia eadem est in origine, ita ut una in alteram abeat. Vis igitur generans est vis corporea cœca, vegetabilium & animalium elementa ordinans & figens. Sed hæc explicatio redit ad generationem æquivocam, & non intelligitur vis cœca quæ strueret animalia ad fines prævisos. Præterea hæc filamenta mobilia vera sunt infēcta quorum germina in aëre, in carne, vel in plantis sunt & omnibus experimentis resistunt. *Spalanzani*, *rech. sur les êtres microscop.* 1769.

**CCCLXXVII.** Non felicius generationem explicat *Wolfius*, dum vim effientialem affert, quæ

plantam & animal ex materie inorganicâ absque modulo struit. Hæc vis à vi cordis diversa, si ipsi credamus, partes inorganicas in vasa & organa figurat, & aliæ post alias nascuntur. Sed constat partes organicas apparere inorganicas propter tenuitatem, neque intelligitur mechanica omnium organorum formatio. Alii fermentationem, alii calorem generantem assignant: nos nullam vim quæ sapientiâ non regatur credimus in materiem secundum directiones perpetuò alias, & ita ad unum finem ordinatas agere posse, ut bruta ea materies in ossa, musculos, viscera & vasa fingatur; & certè vis cœca non struxit oculum qui est optices miraculum.

**CCCLXXXVIII.** Has difficultates sustulit Clariss. *de Buffon*, dum *modulum interiore* fingebat in quo modulo efformentur moleculæ organicæ ad nutritiōnem & dein ad generationem, si superfluæ sint, inservientes; ubi ab utroque sexu prodientes miscentur, figuntur supra moleculas genitales illius sexus cuius moleculæ sunt ubiores, & quasi circa centrum ordinantur reliquæ particulae organicæ secundum ordinem quem tenuerunt in corpore ex quo prodierunt. Exinde explicatur similitudo parentum, partus gemmorum, major fœcunditas in animalibus minoribus & voracioribus, tempus fœcundationi proprium, &c. Seminis utriusque partes analogas & similes sibi uniri in entis tertii generationem dixit *Maupertuis*. Fluidum electricum secundum archetypum à parentibus acceptum corpus fabricari alius finxit: *Idée de l'homme physique & moral.*

**CCCLXXIX.** Liceat contra *D. de Buffon* objecere; non intelligitur quid sit *modulus interior*, quomodo supra se ordinentur moleculæ organicæ ad aliquem finem, & regulariter per vim intrinsecam. Crystalli-

fationes sallum à formatione entium organicorum valdè differunt ; sapiens causa desideratur quæ aptam materiam ad prævisos fines ordinet. Sed sunt alia argumenta validiora. Dantur plurimi fetus à parentibus dissimiles. Sunt in fetibus partes quibus parentes carebant : sic homo qui aliquam partem mancam habet puerum similem non generat. Unde venit hymen quo caret mater , ductus arteriosus , foramen ovale , placenta , unde involucra fetūs , dentes quibus carent aliquando parentes ? Apis generat dissimilem , papilio generat erucam , & plures tales disparitates inter prolem & parentes offert historia insectorum. Quomodo figuntur partes organicæ ad genitalia quæ tardè apparent ? Denique quid est semen fœmininum , quis succus corporis lutei qui cum masculo semine miscetur ? Adde naturam molecularum organicarum non intelligi , & esse imaginationis vividæ fetum.

CCCLXXX. Si fabricam eximiam animalis & vegetabilis neque casus potest construere , neque cœca aliqua vis per quam partes inorganicæ vel organicæ se trahant , neque anima , superesse videtur id unicum ut fetus structus sit & fabricatus , quando conceptio accessit , & ita generatio non est nisi germinis à summo Creatore ordinati fecundatio , quod sistema si non demonstratur , sapientiæ tamen Creatoris , naturæ simplicitati magis convenit , & cum innumeris phænomenis consentit. In insectis & in avibus demonstrantur germina , unde conclusioni locum dat analogia. Præterea omnes partes simul creatæ esse debent , neque cor ante vasa , neque cerebrum ante cor potuit existere , neque possibilis est aliarum partium epigenesis : quomodo verò partes de statu invisibili prodeant explicatur , quia partes modò invisibiles ob pellucidatem , fluiditatem & tenuitatem , jam visibles fiunt ,

tibi colores & consistentiam successivè acquirunt, non ex brutâ materie in organicam, sed ex mole minimâ in amplam transeunt, explicantur, expanduntur partes quæ involutæ & in angustum spatum contractæ erant, nihil novi generatur. Hunc effectum producit semen virile, dum per suam activitatem vel stimulum proprium latentem vitam excitat, germen penetrans, forsan irritabilitatem cordis jam existentis in germine suscitat: calor extraneus in oviparis addatur necesse est.

**CCCLXXXI.** Suis etiam difficultibus premittur illud systema. Afferunt nempe adversarii plantarum & polyporum multiplicem evolutionem absque semine, cutem insectorum, pennis avium, cornua aliquorum quæ omnibus annis reparantur, vasa quæ in cicatrice, in callo & tumoribus aliquando nascuntur, experimenta pennarum, calcarium, dentium infitorum, unde exempla epigenesis adesse in totâ naturâ concludunt: arguunt adhuc cochleas, lacertos, cancros, lumbricos & varia infecta partes abscissas reparare. Objiciunt nævos, monstra, similitudinem parentum, hybrida animalia, & germinum subtilitatem in infinitâ serie, unde omnem evolutionem everti illis persuasum est.

**CCCLXXXII.** Has objectiones, licet difficilimâ, destruit naturæ contemplatio. In plantis sparsa ubique sunt germina quæ in novas plantas absque patre adolescunt; hoc demonstrat gemmarum arborum evolutio. Ita polypi qui sunt arbores animatæ. Chelæ cancerorum videntur habere sua germina disseminata, sic lumbrici, cochleæ & reliqua animalia quæ partes deperditas restaurant. Dentes ex germinibus nascuntur, cornua ex gelatinâ quæ cum periosteo de osse prodit, quasi callus formantur. Nova cellulosa tela fit

in cicatricibus ex succo glutinoso de vasis resectis emisso quem permeare possunt vasa : ossa renascuntur à succo gelatinoso sensim durescente. Tela etiam cellulosa cicatricem efficit ; per illam cellulosam calcaria insita firmantur , & dentes , pili , plumæ ex bulbo cutaneo superstite renascuntur. Exinde evincitur ea quæ in animale organica & nova construuntur ex germinibus dudum paratis & nonnunquam evidenter conspicuis , sensim dilatatis fabrefieri. Quæ verò absque germine nascuntur nihil verè organici habent , & unicè aut partes cavae vasculosas cum sibi connexo celluloso textu , per vim impellentis sanguinis produci , aut ex succo concrescente aliquid semper imperfectius componi constat.

**CCCLXXXIII.** Difficiliores sunt objectiones ex hybridibus & similitudine parentum desumptæ. Possunt tamen adhuc solvi ex eo quod à vi masculi semenis certa organa magis excitentur , unde licet fetus à matre sit , à patre figurari potest. Talis legis multa sunt exempla. Sola imaginatio refutat maximam & indefinitam germinum divisionem. Tandem certis observatis constat germen in ovo ante fecundationem jam latere. Unde proveniat & quomodo formatum fuerit germen , inquirant illi qui primas rerum causas investigare satagunt. Nos ibi hæremus , & primæ generationis mechanismum ignotum fatemur. Unde hybridum sterilitas ? Vid. *Bonnet , Corps organisés . T. 2. p. 247.* Quænam est vita germinum in fœminâ existentium ad generationem disporitorum ? Quare ante fecundationem non crescunt ?



## S E C T I O N O N A.

*De vitâ Fetûs in utero.*

**CCCLXXXIV.** Germen imprægnatum, in uteri cavitatem prolapsum, Blando calore fotum, per causam quæ vitam fecit ulteriùs mutatur, intumescit & sensim utero adnequitur. Post horas 36, vel 48, in ovo incubato cor celerrimè micans jam oculis fistitur, in quadrupedibus & in homine tempora non ita sunt nota; ante quadragesimum diem cor pulsat evidenter, & priùs quàm oculis fistatur, jam vitâ fruuntur ex instanti conceptionis, sed mèrè mucosus fetus, propter pelluciditatem, partes nondum visibiles habet ante decimum-septimum diem juxta *Halleri* observata. Sub formâ ovi etiam in viviparis, intra uterum retinetur, quasi incubatio fieret, & in dupli membranâ inclusus fetus intra liquorem proprium natans vitam ibi transigit. Hoc ovum villosum, in initio liberum, sensim radicatur & aliquâ sui portione utero adhæret, dum flocculi uteri & ovuli sibi accrescunt. Tunc variis non raro incommodis vexatur mater, naufèâ, vomitu, desideriis absurdis & innumeris aliis symptomatibus quæ aliquando totum graviditatis tempus occupant, aliquando citius terminantur.

**CCCLXXXV.** Ovum fetum includens ex duabus membranis componitur, quarum una externa chorion audit, per suam superficiem villosam uteri flocculis exhalantibus & resorbentibus sensim adhærescit, maximè in eâ parte quæ fundus uteri dicitur, ut cum ipsius vasis illa placentæ uniantur, in fundo enim vulgò accrescit utero placenta quæ ex chorio oritur & ipso chorio crassior, ex numerosis vasis sanguineis arteriosis & venosis cum textu cellulofo-

intertextis est composita. Reliqua superficies chorii uteri parietibus applicatur. Omnia verò placentæ vasa circà centrum ejusdem coëunt in tres truncoS convolutos in funiculum qui ad fetūs umbilicum producitur. Secundum involucrum & internum est membrana tenuis, pellucens, placentæ etiam subiecta, raro conspicuis vasculis donata cum interiori laminâ chorii, ope cellulosæ telæ jungitur.

**CCCLXXXVI.** In illarum membranarum cavitate colligitur liquor lymphaticæ indolis, coagulabilis, eò copiosior quò propior origini est embryo, ex arteriis innumerabilibus placentæ & chorii, ex vasculis lymphaticis absque folliculis exsudat hic liquor. In illo natat fetus, cuius nutritioni eum inservire multa docere videntur. Os fetūs patulum, analogia pulli qui in ovo nutritur, absentia umbilici in quibusdam fetibus observata, meconium replens crassa intestina & partem aliquam tenuum, liquor in ventriculo analogus illi qui amnion replet, decrementum liquoris amnii pro portione incrementi fetūs, continua stria glacialis in amnio, ore, gulâ, ventriculo fetūs reperta. Refutant tamen plurimi negantes indole nutritiâ donari, & humorem excrementitum diu retentum iterum posse recipi; os & pharyngem in fetibus clausum reperit Clarist. *Monro*; deglutitio absque respiratione impossibilis est; afferunt observationes fetuum acephalorum, vel sine ore in lucem prodentium; addunt ruptis membranis fetum supervixisse, unde multi adhuc dubitant de hoc modo nutritionis. Alios certiores usus habet ille liquor, ut fetus in eo mobilis sit, molliter situs & à compressione liber, ut uterus commodè dilatetur, in partu etiam confert.

**CCCLXXXVII.** Certius nutrimentum per fu-

niculum umbilicalem fetui accedit. Venæ nempe quas habet placenta suis ostiolis apertis inosculantur arteriis uteri exhalantibus, ex quibus aliquid hauriri nemo dubitat; sed neque de naturâ succi qui à matre ad fetus transmittitur, neque de modo quo fit anastomosis vasorum matris & placentæ consentiunt Physiologi. Aliis si credamus, sanguis idem utrique communis est: vasa rubra utriusque in placentâ inosculantur. Id demonstrare videntur sanguinis jacturæ maximæ à solutâ placentâ in abortu, orificia ibi patula, hæmorrhagiæ ex funiculo umbilicali aperto factæ, dum placenta in utero manet, matrem extinguentes, hæmorrhagiæ matris quæ fetus sanguine exhauriunt, aquæ, mercurii, sebi vel ceræ ab arteriis uteri transitus in vasa placentæ, mensium in gravidis suppressio quæ docet sanguinem aliâs impendi, fetus sine corde viventes, &c. tamen observationes certæ istis opponuntur. Narrant aliqui historias fetus absque umbilico natorum, vel rupti funiculi absque morte fetûs. Eventus oppositos modò dictis habuerunt *Monro Ræderer & Clariss.* *Haller* qui suas injectiones à matre ad fetus, neque à fetu ad matrem transmitti viderunt. Si catella grava sanguine exhauriatur, non ita sanguine exhauriuntur catelli; alii tamen & inter illos *Albinus* eventum contrarium testantur. Sanguis parcus ex vasis placentæ abscissis stillat, nisi separetur ab utero. Catella prægnans alimentis cum rubiâ tinctorum mixtis dum nutriebatur, fetus ossa non tingebantur. *Haller, oper. min. t. 2. p. 477.* negat tamen Clariss. *Guettard, Hist. de l'Acad. des Sc. ann. 1748 p. 57.* Ex his omnibus comparatis, licet incertis, patet dari commercium inter sanguinem maternum & fetus, sed non immediatum & patulum, ita ut textus spongiosus placentæ sit intermedius, & ex illo textu reforbeatur humor

humor nutritius laeteus non verus sanguis. Alias placentae utilitates concedunt nonnulli, ut pulmonis vicibus suppleat, vel sanguis ibi depuretur.

**CCCLXXXVIII.** Funiculus umbilicalis à placenta ad fetum protensus tribus vasis constat. Unum est vena umbilicalis quæ ex coalitione omnium venarum placentæ composita in truncum ingentem confluit, qui in gyros varios plicatus, circumdatus telâ cellulosâ & membranâ quæ amnio continuatur, nodis nonnullis intumescens, magis vel minus extensus, subit umbilicum inter discedentes cutis & musculorum abdominis arcus, & in sinum proprium hepatis adveniens, sanguinem suum per ductum venosum ad venam cavam dicit, unde ad cor, & dein ad aortam defertur. Ubi vero aorta in iliacâ continuatur, oriuntur duæ arteriæ umbilicales sub angulo acuto, secundum vesicam reflexæ ascendunt, tectæ cellulosâ peritonæi lamellâ, in funiculum umbilicalem dein veniunt, ibique variis gyris cum venâ contortæ, ad placentam feruntur; an in venas bibulas uteri sanguis resorbetur?

**CCCLXXXIX.** Funiculo umbilicali adhuc adhæret alius ductus qui ex fundo vesicæ urinariæ ortus, ad umbilicum venit, urachus dicitur, cuius ope urinam in fetu collectam ad allantoidem deferri suspicantur. Hæc equidem allantois est réceptaculum urinæ in quadrupedis existens, sed in fetu humano nondum benè demonstratur, quamvis aliquando pervius fuerit urachus, & aliqui anatomici alantoidis existentiam testati sint in homine.

**CCCXC.** Sanguis igitur per indicatas vias ad cor fetū appellit, & ejus latera paululum elevat quæ proprio nisu reagentia illum propellunt in patentes arterias ad omnes partes corporis; aliqua tamen pars

illius qui ad partes inferiores amandabatur venit in arterias umbilicales, unde minor ad vasa inferiora devenit, & minor est ipsorum diameter. Hæc est causa parvitatis pelvis & artuum inferiorum in fetu. Aliquid adhuc forsan resorbetur per os, unde nutritio fetus & incrementum eò majus quò propior est origini Quippe in primordio est gelatina pellucida & informis apparens, ex quâ sensim emergunt diversa organa, ubi colorem & volumen debitum acquirunt. Primum quod videtur est punctum rubrum saliens, cum capite grandissimo, & medullâ spinali, quibus partibus aliæ adstruuntur, mucus abit in fibras, telam cellulosam, hæc in membranas, vasorum & viscerum germen extenditur, colorem & indolem propriam acquirunt musculi, cartilagines, ligamenta, ossa, &c. embryonis forma humana evolvitur, non formatur mechanicè, & causa non potest repeti nisi ab impetu cordis sensim validiori.

**CCCXCI.** Alias adhuc diversitates notandas offert circulatio sanguinis in fetu. Quippe in utero materno inclusus aërem non respirat, hinc pulmones sunt pro volumine cordis exigui & solidi, quia ab omni aëre mediis in aquis seclusi non extenduntur. Cum tantam sanguinis copiam absque respiratione pulmones transmittere nequeant, quanta in adultis transit, aliæ viæ in fetu paratæ sunt quibus maxima pars sanguinis ex venâ umbilicali & cavâ inferiori in aortam arteriam, insalutato pulmone progrediatur. Et primò septum intermedium auris dextræ & sinistræ pertusum est foramine, per quod sanguis ex venâ cavâ veniens & aliquo modo à valvulari auriculæ dextræ margine seu valvulâ Eustachianâ repulsus, magno flumine in sinum sinistrum transit; aliquam membranam habet quæ vice valvulæ fungitur. Hanc viam

transmittere magnam portionem sanguinis à dextro ventriculo in sinistrum demonstrant experimenta & inspectio anatomica.

**CCCXCII.** Ille sanguis qui ex dextro corde ad arteriam pulmonarem emissus est non omnis ad pulmonem venit, nam inter eam arteriam & aortam ductus est amplius intermedius qui ductus arteriosus dicitur, unde aliqua pars adhuc ad aortam migrat pulmone insalutato. Ideò truncus arteriæ pulmonaris amplior in fetu, minor verò observatur ille aortæ ubi ex corde prodit. Inde sequitur, 1°. Magnam partem sanguinis venæ umbilicalis brevi itinere in aortam inferiorem & in placentam ferri. 2°. Substantiam pulmonum fetūs exiguum sanguinis portionem accipere.

**CCCXCIII.** Hæc non sunt solæ diversitates quæ inter fetus & adultum intercedunt. Caput nempe in ipso fetus est amplius, os dentibus caret, cerebrum molle, pupilla clausa, oculi grandes, pectus minus ferè solo thymo turgido admodum & tenero repletur, hepar amplius, omnes glandulæ lymphaticæ succosiores & ampliores observantur, bilis blanda, intestina parùm irritabilia, plena viridi & molli fæce, renes in lobulos divisi, capsulæ amplissimæ, pelvis minima, sistema genitale nondum evolutum suos succos nondum parat, extremitates inferiores admodum debiles sunt.

**CCCXCIV.** Quinam sit status fetus in utero inclusi, si quæratur, vix possumus respondere; in somno sepultus quasi vegetans videtur, ideis affici non probabile est cum sensibus non utatur. Inter fetus & matrem magna certè est sympathia, sed inter præjudicatas opiniones censenda imaginationis maternæ in fetus potentia, ut exinde nævi, difformitates pro-

veniant. Deficiunt viæ quibus ideæ matris fetui imprimentur, abest materies quæ mentem exprimat, motus quo propellat, & observationes allatae aut vanæ sunt, aut ad morbos cutaneos vel alios pertinent, quorum causam dum anxiæ matres quærunt, terrores & phantasiæ ludibria afferunt.

## S E C T I O   D E C I M A.

*De Partu.*

**CCCXCV.** Cum fetu uterus crescit, dum arteriæ & venæ à retento sanguine distenduntur, ita crassities parietum vix minuitur; cum arteriarum & venarum copiosior sanguis extenuationem fabricæ solidæ compenset, vasa uteri extenduntur & in omnem modum hic intumescit. Crescit imprimis fundus uteri, exit adeo de pelvi ad colon & versùs ventriculum elevatur, abdominis viscera, vasa hypogastrica, vesica, rectum intestinum comprimuntur, unde plurima incommoda subnascuntur. Os uteri eo tempore copioso muco ex sinibus & glandulis ambientibus obducitur, ab aëre defenditur. Cervix uteri cedit & brevis fit. Fetus grandescens qui in tenerâ ætate incertum situm habebat, in mediâ graviditate vel tardiùs caput ponderosum magis & magis in pelvim demergit, & versùs uteri cervicem dirigit, unde alia ad partûs proximitatem sequuntur incommoda.

**CCCXCVI.** Hinc oriuntur vagi primò uteri irritati ad se liberandum conatus, & inconstantes illi dolores quos in noni mensis decursu experiuntur matres, præsertim sensibiores, os uteri mollescit, denique vulgò novem solaribus mensibus expletis, incommoda & inquietudines ex fetûs pondere ad maximum gradum perveniunt, molestus à capite ip-

sius impacto sensus nascitur, os uteri aperitur & dilatatur, aliquando sensim, aliquando subitè dolores augentur, fiunt frequentiores, & vividiores, in lumbis orti ad pubem descendunt tenesimum mentientes non raro. Jam accedunt in paroxysmos & conatus validissimos quibus fetus deorsum premitur. Magis vel minus lentus est is labor qui distensionem orificii uteri molitur; illud sensim aperitur & evanescit, aquæ membranis involutæ truduntur & fastigiantur, os uteri amplissimum fit & tenuissimum, rumpuntur demum membranæ secundæ, & aqua amnii profluit vaginam lubricans. Jam persentitur nudum caput facie ad os sacrum conversâ, quod cunei modo, pergentibus conatibus validissimis, ulterius pellitur; distenditur vagina, partes vicinæ comprimuntur, laxantur saepe non nihil ossa pubis, cum peculiari tremore & acuto clamore matris; caput tandem prodit, dum mater vehementissimos vulgo dolores & conatus experitur. Reliquum corpus facile sequitur. Narrant esse gentes quæ minores hos experiuntur labores; & fœminæ à teneris benè exercitatæ his minus discruciantur quam otiosæ & sedentariæ; ex variâ verò ossium pelvis conformatioне, vel vario fetûs situ facilior vel difficilior fit partus, ita ut non raro admodum difficilis & aliquando impossibilis sit hæc functio.

**CCCXCVII.** Ad ultimum graviditatis terminum pervenientis uteri orgasmus suscitatur. An per distensionem? Non videtur, cum duplex fetus vel robustior non citius vulgo prodeat quam gracilis & debilis. In omnibus animalibus suus est præfixus terminus quem raro antecedunt vel transgrediuntur. Ad decimam revolutionem periodicam vulgo estimatur in muliere. Aliquando citius, non raro tardius prodit fetus. Vix credendum tamen ad duodecimum vel de-

cimum-tertium mensem & ultra posse produci partum. Hæc est igitur uteri gravi ñ natura ut stato tempore excitetur vis organica, & inde separetur fetus; intenditur nempe actio fibrarum uteri, alternè agunt illæ fundi & cervicis per vim contractilem, proprio modo stimulatae se contrahunt ut ab onere se liberent; perfectam extensionem fibrarum cervicis uteri assignat Clariss. *Petit*, unde in actionem cietur hoc organum. Multum addit irresistibilis & valida contractio uteri, minus verò confert fetus qui immobilis aliquando & extinctus prodit. Inde explicatur cur à variis accidentibus & aliquibus ingestis possit accelerari partus.

**CCCXC VIII.** Placenta connexa fundo uteri, aliquando cum fetu expellitur, frequentius manu obstetricis non difficulter solvitur, vi nixus levioris à matre editi. Chorii verò & placentæ dum fit hæc divulsio, flocculi placentæ de uteri villis exeunt, sequitur sanguinis insigne profluvium ex abruptis patulisque vasis arteriosis & venosis, aliquando funestum, dein fit ipsius uteri contractio cum variâ celeritate, vasa ejus arctantur, & successu temporis non amplius merus crux, sed serum flavescent effluit, sub nomine lochiorum quorum copia est omnino incerta in diversis fœminis. Membranulae chorii, & placentæ laciniæ minores simul evanuantur, ut inde expurgetur uterus. Lochiorum effluxum dolores colici vulgo comitantur, irritatus nempe uterus hæterogenea exprimit & vasa evanuantur. Hujus effluxus maxima est necessitas, & ab ipsius suppressione frequentissima est mors puerarum: ad volumen naturale sensim dein redit uterus, vagina arctior etiam redditur, & post quadraginta dies vulgo redeunt menstrua. Ut fetus ab utero separatus jam propriâ

vitâ fruatur, ligandus est statim post partum funiculus umbilicalis, & dein resecandus, tamen sine periculo fetûs liber relinqueretur. Vena umbilicalis omni sanguinis affluxu privatur, & arteriæ umbilicales sanguinem non amplius mittunt.

**CCCXCIX.** Vulgo unicum fetum edit mulier, sed aliquando post primum aliis succedit, rariùs quidem tertius, & exempla prostant quadrigeminorum & quinquegeminorum fetuum, quæ tamen sunt admodum rara in specie humanâ & in aliis quæ duas tantum mammae habent. Causa multiplicis feturæ pendet à numero germinum quæ eodem tempore simul imprægnantur. Si verò in tempore gestationis, fiat alterius fetûs imprægnatio, inde superfetatio sequetur quæ certè observata fuit in gente humanâ, & inter animalia quidem. Quomodo hæc eveniat, vix intellegitur, nisi loculi distincti sint in utero.

#### S E C T I O   U N D E C I M A.

##### *De actione Mammarum.*

**CD.** Mammæ suprà pectus positæ, in fœminis non solùm ad formæ elegantiam, sed ad maximos usus destinantur in fetûs gratiam. Quippe pubertatis tempore, ubi generationi fit apta puella, explicantur, elongantur, formam globosam & soliditatem acquirunt mammæ, ad sua munia aptæ fiunt. Sed tempore graviditatis turgent & aliquando jam lac stilant; biduo verò vel triduo à partu, quo tempore primus lochiorum impetus deferbuit, insigniter intumescunt & quæ serum modicum in gravidâ fœminâ stillabant, eæ nunc turgent seroso primùm tenuique liquore qui sensim crassior fit & albidior. Lac nempe liquorem exhibit chylo simillimum, spissiusculum,

dulcem, blandissimo sale essentiali fetum, sponte acercentem, halitu odoro volatili imprægnatum, multâ pinguedine cum fero & caseosâ viscidâ ac terrestri aliâ materie mixtum. Diutiùs à partu, jam verso in serum chylo salsum fit, alcalescit & proli ingratum. Naturam ciborum quorumdam & medicamentorum, uti chylus, sœpe retinet.

**CDI.** Mammæ siunt ex plurimo circumposito, mollissimo adipe & conglomeratâ glandulâ convexâ, acinis rotundis, duriusculis factâ, extùs firmâ cellulosa telâ obductis & conjunctis. Vasa habet à mammariis internis, ab externis thoracicis. Vasa epigastrica aliquas cum illis alere anastomoses jam observavit antiquitas. Nervi multi à nervis intercostalibus veniunt. Ex glandulâ illâ conglomeratâ & ex ambiente pariter adipe, infinitis radiculis ductus oriuntur numerosi, tenerrimi, candidissimi, molles & dilatabiles qui undique ad medium papillam, tum in areâ circuli & in radicem papillæ emergunt. Papilla verò est tenue, cavernosum corpus quasi cellulosum, sensibile valdè quod certo modo irritatum erigitur per titillationem. Ea papillâ sustinet viginti & ultrà excretorios ductus lactiferos ostiolis inter cutaneas rugas latentibus patentes. Papillam ambit area quæ plurimas habet sebaceas glandulas.

**CDII.** Finem naturæ facilè intelligimus, dum has glandulas ad secretionem aptas tempore pubertatis, post partum lacteo blando nutritente liquore turgidas fieri observamus, dum in vetulis decrescunt, mollescunt & lac desinunt fundere. Causam verò hujus secretionis, quam stimulus potest excitare etiam in virginibus, & quæ maximâ sœpe abundantia post partum fit non possumus repetere, nisi à mammarum cum utero consensu qui & plurimis aliis

observationibus potest demonstrari. Quippe in gravidis, postquam menses emanserunt, lac in mammis incipit colligi, mortuo fetu mammæ vulgo gracilescunt, à suppressis mensibus mammæ intumescunt, in lactantibus vulgo suppressuntur menstrua, mammæ in hæmorrhagiâ uteri collabuntur, menses moderatur cucurbitula mammis admota, lactis odorem non raro referunt lochia. Inde patet veram esse inter uterum & mammas unionem, ab anastomosibus tamen inter epigastricas & mammarias repeti posse vix existimamus, cum minores sint illæ communicationes, sed est analogia secretionis & in actionis organicæ energiâ per quam in consensum trahuntur hæc organa. Succedit nempe magnæ illi secretioni quæ in utero fiebat ad nutritionem fetûs.

CDIII. Hic primus infantî cibus est, quem tunc novit capere quando nascitur. Nempe complexus ore papillam blandâ vellicatione cogit erigi, premit labellis ne aër medius subire possit, inspirat unâ, spatiuumque in ore suo parat aëre leviori plenum; sic pondus aëris, labiorum infantilium vis comprimens emulgent lac de papillâ, aliquando & sponte defluit, fugit infans chylum jam præparatum, ad suam nutritionem maximè idoneum. Primum sero sum lac quod post partum fluit, seu colostrum alvum teneri fetûs laxat, meconium expurgat cum summâ utilitate. Ideo pessimè sibi & proli consulunt matres quæ mammæ suis recusant. Naturæ dictanti resistunt & maximo munere non defunguntur.



## S E C T I O   D U O D E C I M A.

*De mutationibus quæ fiunt in recèns nato.*

CDIV. Ex utero expulsus fetus in aquis non amplius natans, necessitate aliquâ ab actione diaphragmatis forsan pendente ad respirationem cogitur, vagit, clamitat, cibum cupit & lacte sibi appropriato fruitur. Sed à respiratione pendent peculiares sanguinis circuli mutationes. Dum enim pulmones infantis in lucem editi ab aëre inspirato distenduntur, situs vasorum pulmonarium mutatur, ita ut ad recipiendum sanguinem magis disponantur. Sanguis itaque ex ventriculo anteriori in pulmones ruit, & eos magis adhuc expandit; inde arteriosus canalis, transfluente anteà humore hac ratione destitutus, coalescit, clauditur. Sanguis præterea ex pulmonibus in auriculam posteriorem deveniens, valvulam foramini ovali applicat & impedit ne sanguis venæ cavæ ulteriùs huc deducatur, ut viam in adultis consuetam sequatur, hinc coalitionem valvulae cum foramine ovali permittat, non rarò tamen in longæ vitæ tractu remansisse constat. Mutationes quas subeunt ossa hic præterimus.

CDV. Deletur adhuc in nuper nato urachus, & vasa umbilicalia clauduntur; primò vena quæ post aliquot dies separatur, ductus venosus coit, arteriæ ejusdem nominis à derivatione siccantur & clauduntur, inde sequuntur incrementa pelvis & artuum inferiorum usque ad pubertatem, quo tempore crescunt insigniter organa genitalia. Alias adhuc mutationes offerunt thymus, glandulæ suprarenales & aliæ glandulæ lymphaticæ quæ successu ætatis marcescunt & quasi delentur. Sensus externi progressu temporis ad exercitium disponuntur, deletur membrana pupillaris,

acquuntur aures, tactus certior redditur, gustus & olfactus exercentur, ad perceptiones tandem, & ad inde sequentes operationes mentis aptitudinem acquirit puer.

---

## C A P U T   XXIV.

*De Nutritione.*

**C D V I .** **N**ovis accessionibus indigent fluida & solida viventia, unde partes deperditæ reparentur & superstites in statu fano conserventur ad vitæ exercitium. Hæc reparatio dicitur nutritio quæ triplex phænomenum offert in decursu vitæ animalis. Quippe à primo instanti generationis ad certam usque ætatem, quæ circiter ad quartam partem vitæ animalis potest æstimari, crescit homo & extenditur. Per duos alias sequentes quadrantes in statu consistentiæ remainet, & sola corporis crassities augescit ; tandem in ultimo stadio quod aliquando prolongatur decrevit, & ad mortem naturalem tendit. Ordo jubet ut in triplici illo stadio considerentur nutritionis phænomena, sed priùs hujus functionis tradenda est generalior theoria.

**C D V I I .** Germen aurâ vitali imprægnatum, vel quocumque modo constructum, habet omnium organorum germina quæ increscendo & augescendo ex statu invisibili fiunt visibilia. Ita docent experimenta in ovis incubatis tentata à Celeberr. *Haller*. Vi cordis ad debitum usque gradum augetur machina animalis, dein consistit, per continuationem nutritionis durescit, rigescit & exsiccatur. Utriusque statûs rationem reddit fibræ animalis compositio quâ moleculæ

integrantes, mucosæ recipiuntur, in elementa fibræ plasmantur per vim organicam. Quandiu mollis fibræ textus elongationem permittit, fit nutritio cum incremento, sed statu tempore fibra ulteriori extensiōni non cedit, resistit, dein rigescit.

**CDVIII.** Materiem nutritiam non possumus repetere nisi à parte mucilaginosâ & glutinosâ alimenterum quæ per vires digestionis & sanguificationis proprio modo combinata, ad stamina fibrarum applicatur. Hæc est vera nutritionis materia ex regno vegetabili ad animale transferenda, dum debito modo combinatur in formatione sanguinis, ex quo liquore secedit succus ille gelatinosus reparans varias partes solidas & fluidas. Quomodo inde restaurantur partes fluidæ per hæmatopoiesin & per secretiones intelligitur; partes verò solidæ nutriuntur per successivam & continuam molecularum homogenearum applicationem. Vis applicans ad attractionis speciem redit quâ moleculas integrantes homogeneas unaquæque fibra suscipit & sibi assimilat.

**CDIX.** Sed quomodo una & eadem materia, mucilaginosa nempe & gelatinosa, possit tantas varietates in machinâ animali producere, aut saltem tam diversis organis nutritionem præbere explicatu difficile est. Quomodo inde reparantur fibræ nerveæ, musculares, cellulares, osseæ, cartilagineæ, ligamentosæ &c? Requiritur ut moleculæ assimilentur statini cui applicantur, & analogiam cum illo contrahant, dum illud nutriunt. Ita considerata nutritio ad secretionum opus redit, & reverà lympha generalem constituit nutritionis materiam, debitam verò hæc recipit in diversis organis præparationem, ut ipsorum nutrimentum constituat. Sed si materiæ nutrientis naturam & nutritionis rationem scrutari nondūm li-

ceat, phænomena saltem hujus functionis in toto cursu  
vitæ perpendamus.

## S E C T I O   P R I M A.

*De nutritione in primo stadio vitæ, cum incremento.*

C D X. Incrementum embryonis in utero materno immensum est. Ex exiguitate quæ superat vim optimorum microscopiorum ad pondus octo & decem librarum , aliquando ulterius augetur intrà novem menses. Incrementum verò illud eò celerius fit quò fetus propior est origini ; quippe majori irritabilitate cor pollet, arteriæ numerosiores, laxiores & teneiores faciliùs cedunt. In hoc stadio notanda venit osfium formatio quæ in utero materno incœpta , successu ætatis perficitur. In centro cylindri gelatinosi primus nucleus osseus nascitur , ubi vasa rubra apparent, ex succo osseo proprio huc deposito. Terreæ particulæ ad fibras gelatinosas adduntur , & in duriores fibras coëunt, fiunt primò cartilaginosæ & dein ex majori copiâ terræ , osfiam duritiem adipiscuntur. Os senescendo majorem copiam terræ adhuc acquirit. Hunc succum ossa nutrientem rubro colore inficit rubia tinctorum , & ope hujus plantæ instituendo experimenta , Clariss. viri *Detleef, Hallerus, Bordenave* veri succi proprii ossei formationem in juniorum animalium callo exactè observarunt ; succi ossei naturam elucidavit Celeberr. *Herissant. Mem. de l' Acad. R. des Sc. ann. 1754* , & ingeniosis experimentis , terram calcariam absorbentem intrà textum ossis depositam, ipsi soliditatem conciliare demonstravit : quippe menstruo proprio educitâ terrâ , os mollescit , redditâ iterum durescit , glutine educito os dilabitur , tandem ex innumeris experimentis & obser-

vationibus, ex dentium exemplo, patet periosteum non esse illud organum in quo cartilago præparatur quæ sit in os abitura, si terra deponatur; sed succum osseum peculiaris indolis terreis particulis ebrium ibi fecerni, qui ad gluten fibrarum primigenium adhærescendo osseam naturam tribuit.

**CDXI.** Grandescit ergo embryo utero materno inclusus, in omnem sensum extenditur, primum conspicuum prodit caput quod primò fuit bulla membranacea maximi voluminis, dein truncus & extremitates prodeunt, tunc somno continuo sepultus videtur fetus, motus sensibilis vix nisi ad quartum mensem percipitur, aditus lucis ad retinam membranam pupillari obducitur, nulli dentes, amplius oris rictus, pectus exiguum est, thymus lacteo succo valdè scatet & amplissimus est, uti & glandulæ lymphaticæ, abdomen maximè extensum, hepar amplum, bilis imperfectior, non amara, lien minor & rubicundior, testes exigui in abdomine latentes, vesica amplissima extrà pelvim posita, tendines molles, albidi sunt. Post nativitatem aliæ sequuntur mutationes jam expostæ.

**CDXII.** Sexto mense post nativitatem, pueris primi dentes erumpunt, raro citius, aliquando tardius. Ex folliculo intra gingivas latente nascuntur. Primi erumpunt dentes incisores inferiores, dein superiores, sequuntur canini in eodem ordine, tandem molares post annum primum usque ad secundum & ultrà. Hi dentes renovandi perfectas radices non habent, quippe ab anno nono ad decimum tertium, dentes incisivi, canini, molares decidunt & alii subnascuntur. Sed extensæ magis maxillæ majori numero dentium locum præbent, loco primi molaris duo succedunt, & ultimus molaris superadditur, aliquando

tardiūs. Dantur & exempla tertiae dentitionis. Dentes succo proprio etiam nutriuntur, & foramina in radicibus habent pro transitu vasorum & nervorum, periosteum non habent; tardiūs crescunt in rachiticis. Aliquando nascentes fetus jam dentes gerunt.

**CDXIII.** Successu ætatis, sensus quibus vix fruitur infans vagiens perficiuntur & acutiores fiunt, jam voces aliquas usitatas faciliores repetit, mense circiter decimo-octavo, cerebrum sensim firmius ad functiones disponitur, cellulosa tela stricior sit. Facilis est memoria, & linguam maternam ex usu discit infans. Nerveum systema tenerum vividas affectiones patitur, sed brevi evanescentes, facilis est & longus somnus. Crescit puer, sed eò lentiū quò magis progreditur. Cur incrementum decrescat intelligitur ex eo quod cor minùs sit irritabile, pulsus sint minùs numerosi, vasa longiora, vascula difficiliū cedant; ita docent injectiones quæ multò faciliores & perfectiores in junioribus, quia in ætate proiectiori vascula compræssa inaniuntur, coalescunt, corpus fit densius, durius, cellulosa tela stricior est, indurescunt musculi, tendines, ligamenta, arteriæ, glandulæ, &c. Causa harum mutationum est nova & continuò succedens lymphæ nutrientis applicatio, quia partes solidæ quâ proportione nutriuntur, solidiores fiunt. Increscant quandiu viribus extendentibus cedunt. Quando vires extendentes æquales sunt viribus resistentibus terminatur incrementum, citius in fœminis, tardiūs in masculis.

**CDXIV.** Aliâ revolutione finis hujus stadii notatur, pubertate nempe quâ uterque sexus ad generationem aptus fit, & invitatur. In fœminis fluxus menstruus hanc epocham figit, licet aliquando &

ulterius progrediatur incrementum. In masculis testes volumen acquirunt, penis crassescit, semen generatur, vox mascula fit. An hujus mutationis rationem reddunt arteriae hypogastricæ in fetu exiguae quæ jam evolvuntur? Crassescunt equidem extremitates inferiores. Ossium epiphyses cum ossibus adunantur. Eam revolutionem comitantur non raro & præcedunt tumores glandularum conglobati generis in collo, alis & inguinibus qui, cum sponte evanescant, pendent à succi nutritii copiâ quam diminutum incrementum non absumit. In hujus stadii decursu, hepar fit minus, major pulmo, glandulæ conglobatae & suprarenales minuuntur, thymus quasi evanescit.

**CDXV.** Sunt incrementi celerioris innumera exempla quæ non possunt repeti nisi à laxitate solidorum cum vi cordis majore conjuncta, sed præcoces illi homines vulgo brevis sunt ævi. Variis morbis, variis atmospheræ constitutionibus, spirituosis potulentis etiam retardatur incrementum vel impeditur. Homini verò & aliis animalium speciebus, suus est incrementi terminus notatus & præfixus, brevior in fœminis quàm in masculis; sunt gentes aliis proceriores; sunt & aliquando homines qui vulgarem statutram ad unum & duos pedes superant; sunt qui citius sua incrementa habent. Gentem verò giganteam in aliquâ regione existisse nihil probat, & an veteres fuerint nobis proceriores dubitamus. Neque gens natorum ulla datur, sed in aliquibus regionibus est brevior statuta.



## SECTIO SECUNDA.

*De nutritione in secundo stadio vitæ, seu de statu.*

CDXVI. Ubi ad finem incrementi pervenit homo, tunc perfectissimus est. Omnes functiones corporis & mentis facilis exercentur, & tamen semen senii & mortis pergit, quippe augescit induratio; post perfectum incrementum per continuam glutinis nutrientis adhesionem, gelatina animalis lentè applicata portionem terræ sensim adauget, ita machina hæc admirabilis, dum se ipsam instaurat, se destruit. Insensibilis tamen observatur hæc destructio usque ad trigesimum, vel quadagesimum annum, & in hoc stadio maximæ sunt vires mentis & corporis, ad generationem felicior est aptitudo: sed semper densantur fibræ, vasa minora angustantur, rigescunt solida, & ad mortem naturalem insensibiliter tendunt. Hunc terminum longiorem reddit diæta blanda, vegetabilis, aër temperatus, debita mentis tranquillitas.

CDXVII. In hoc stadio obesitas nascitur. Ea fit ab adipe in textu celluloso congesto, quippe lentemente sanguinis impetu, cum difficilius nunc in minima vascula subeat, ad parietes vasorum alegatur, vascula lateralia subit porosque inorganicos arteriarum, in cellulosam telam exfudat ibique congeritur. Hic adeps textum viscerum non occupat, in aliquibus locis facilis, in aliis difficilis deponitur. In viris otiosis, sanguineis & phlegmaticis facilis, difficilis in rusticis, militibus, cholericis, melancholicis colligitur & ad immensum pondus aliquando augetur, semper cedente textu celluloso.



## S E C T I O   T E R T I A.

*De nutritione in tertio stadio vitæ , seu de decremento.*

**CDXVIII.** Dictarum periodorum progressu du-  
rescit corpus animale , elementa solida ad minora  
intervalla coëunt , vasa minora excœcantur , partes  
tendineæ augescunt , arteriæ densantur , magis resistunt ,  
venæ magis cedunt , viscera indurescunt , ossa fragi-  
liora fiunt , futuræ obliterantur , dentes decidunt ,  
nervi occalescunt , atque de sensuum subtilitate dece-  
dit , oculi hebetiores fiunt , minuitur irritabilitas mus-  
culorum , humores falsis & acribus particulis insi-  
ciuntur , terræ abundantia crescit , unde rigiditas senilis  
citiùs vel seriùs observanda , sed nunquam impedienda.  
Veneris gaudia evanescunt cum sensu qui ad illa cog-  
bat , difficiliores sunt contractiones muscularum , judicij  
equidem adest maturitas ex lentore & experientiâ ,  
sed memoria est debilis , canescentes capilli jam decidunt :  
spina antrorsum inclinatur . Hanc periodum adhuc  
bona diæta potest producere.

**CDXIX.** Seriùs tandem vel ociùs , sed necessa-  
riò , ad inevitabilem terminum pervenit senex . Quippe  
omnia vitia dicta sensim augmentur , sistema nervosum  
in callos indurescit , omnia vestigia in cerebro abo-  
lentur , sensim omnia desideria ad cibum vertuntur ,  
somnus profundior fit & frequentior , miëtus difficilis  
est , viscera accrescunt , artus anchylosin expe-  
riuntur , statura minuitur , cor lentè salit , pulsus in-  
termittens fit , corpus friget , respiratio rarescit , vires  
deficiunt . Hæc omnia symptomata ingravescunt , vel  
aliquo morbo ingruente vel rigiditate senili pereunt  
senes , quando cor debile & minus irritabile oneri  
resistentiarum succumbit . Pulsus jam intermittens  
interrumpitur nunquàm redditurus .

CDXX. Varius est hujus termini finis in variis animalibus; insecta brevis ævi sunt; quadrupeda frigida, pisces longævam vitam agunt, uti & aves nonnullæ; aliorum breve est ævum, & eò brevius quò citius staturam acquirunt, ubi epiphyses in ossa convertuntur. Homo verò qui longævissimus est inter omnia animalia rarissimè ad mortem senilem pervenit quæ ultrà saeculum, & aliquando ad 150 annos protenditur. Mortis verò signa certa non ex frigore, neque ex rigore, & vix nisi ex putredine possunt repeti, quæ tamen viva corpora aliquando etiam inficit. Si corpus in putredinem ruit, separantur elementa, ad terram redeunt, dum anima Creatori redditur.

*F I N I S.*

## ERRATA ET ADDENDA NONNULLA.

- P**AG. 17. lin. 32. anostomoses, leg. anastomoses,  
 Pag. 26. lin. 12. animale, leg. animali. Ita & pag. 28.  
 lin. 29 & 30.  
 Pag. 82. lin. 8. in nato, leg. ex nato.  
 Pag. 85. lin. 8. add. meliorem methodum invenit ille  
 qui per signa methodica docuit. Vid. *Institution des*  
*sourds & des muets par la voie des signes*, Paris  
 1776.  
 Pag. 90. lin. 23. habent, leg. habet.  
 Pag. 121. lin. 18. si non cernunt proxima, diffita  
 optimè perlustrant, leg. si non cernunt diffita,  
 proxima optimè perlustrant.  
 Pag. 122. lin. 31. constavit, leg. constituit.  
 Pag. 123. § 214. lin. 4. primum, leg. unum. ibid. lin. 6.  
 licet ipsi inhæreat & cum ipsa uniatur, leg. licet  
 ipsi uniatur.  
 Pag. 124. § 216. lin. 7. secunda idearum origo,  
 leg. altera.  
 Pag. 147. lin. 5. melius intelligitur si dicamus; sub  
 ventriculo inter laminas mesocoli hæret glandula,  
 &c.  
 Pag. 196. lin. ultima, animale, leg. animali.

## I N D E X

## CAPITUM ET SECTIONUM.

<b>C</b> AP. I. <i>Departibus solidis Corporis Humani,</i>	pag. 9
CAP. II. <i>De fluidis Corporis Humani,</i>	12
CAP. III. <i>De circulatione sanguinis,</i>	14
Sect. 1. <i>De vasis arteriosis &amp; venosis,</i>	ibid.
Sect. 2. <i>De directione motū sanguinis per arterias &amp; venas,</i>	18
Sect. 3. <i>De structurā cordis,</i>	21
Sect. 4. <i>Phænomena motū cordis,</i>	25
Sect. 5. <i>De motu quem sanguis accipit à corde,</i>	30
Sect. 6. <i>De causā motū cordis,</i>	33
Sect. 7. <i>De naturā sanguinis,</i>	37
Sect. 8. <i>De phænomenis, causis &amp; effectibus sanguinis moti intra arterias,</i>	40
Sect. 9. <i>De phænomenis causis &amp; effectibus sanguinis moti intra venas,</i>	49
CAP. IV. <i>De secretionibus,</i>	52
Sect. 1. <i>De organis secretoriis,</i>	ibid.
Sect. 2. <i>Classe humorum secretiorum,</i>	54
Sect. 3. <i>De causis diversitatis humorum,</i>	55
Sect. 4. <i>De excretione,</i>	57
CAP. V. <i>De respiratione &amp; actionibus ab ipsā pendentibus,</i>	58
Sect. 1. <i>De structurā &amp; actione partium respirationi famulantium,</i>	59
Sect. 2. <i>De aëre,</i>	66
Sect. 3. <i>De phænomenis &amp; de mechanismo respirationis,</i>	67
Sect. 4. <i>De utilitate respirationis,</i>	73
Sect. 5. <i>De nonnullis actionibus à respiratione pendentibus,</i>	77
Sect. 6. <i>De voce &amp; loquela,</i>	79
CAP. VI. <i>De actione cerebri &amp; nervorum,</i>	85
Sect. 1. <i>Quid circa cerebrum &amp; nervos doceat anatome,</i>	86
Sect. 2. <i>De functionibus cerebri &amp; nervorum,</i>	93

Sect. 3. <i>De modo quo cerebrum &amp; nervi suas</i>	
<i>functiones exercent,</i>	pag. 94
CAP. VII. <i>De motu musculari,</i>	98
Sect. 1. <i>De fabricâ musculari,</i>	99
Sect. 2. <i>De proprietatibus fibræ musculosæ,</i>	101
Sect. 3. <i>Phænomena motûs muscularis,</i>	102
Sect. 4. <i>De causâ motûs muscularis,</i>	105
CAP. VIII. <i>De sensibus externis,</i>	108
Sect. 1. <i>De tactu,</i>	ibid.
Sect. 2. <i>De gustu,</i>	109
Sect. 3. <i>De olfactu,</i>	111
Sect. 4. <i>De auditu,</i>	113
Sect. 5. <i>De visu,</i>	116
CAP. IX. <i>De sensibus internis,</i>	123
CAP. X. <i>De somno,</i>	126
CAP. XI. <i>De actione cutis, seu de transpira-</i>	
<i>tione insensibili &amp; sudore,</i>	130
CAP. XII. <i>De secrezione adipis, medullæ of-</i>	
<i>fium &amp; unguinis articulorum,</i>	134
CAP. XIII. <i>De secrezione &amp; excretione urinæ,</i>	136
CAP. XIV. <i>De actione capsularum renalium,</i>	142
CAP. XV. <i>De parotidibus &amp; aliis glandulis</i>	
<i>salivaribus,</i>	143
CAP. XVI. <i>De peritoneo &amp; omento,</i>	146
CAP. XVII. <i>De actione pancreatis,</i>	147
CAP. XVIII. <i>De actione lienis,</i>	148
CAP. XIX. <i>De actione hepatis &amp; vesiculæ fel-</i>	
<i>leæ,</i>	152
CAP. XX. <i>De vasis &amp; glandulis lymphaticis,</i>	159
CAP. XXI. <i>De digestione alimentorum in pri-</i>	
<i>mis viis, seu de chimificatione &amp; chilifica-</i>	
<i>tione,</i>	163
Sect. 1. <i>De fame &amp; siti,</i>	164
Sect. 2. <i>De masticatione,</i>	167
Sect. 3. <i>De deglutitione,</i>	169
Sect. 4. <i>De actione ventriculi in ingesta, seu</i>	
<i>de chimificatione,</i>	171
Sect. 5. <i>De mutatione quam chymus subit in</i>	
<i>intestinis tenuibus,</i>	176
Sect. 6. <i>De actione intestinorum crassorum,</i>	181
Sect. 7. <i>De excretione alvinâ,</i>	185
CAP. XXII. <i>De transitu chili ad sanguinem,</i>	187
CAP. XXIII. <i>De generatione,</i>	190
Sect. 1. <i>De partibus genitalibus masculis,</i>	191

Sect. 2. <i>De semine ,</i>	pag. 196
Sect. 3. <i>De secrezione &amp; excretione sēminis ,</i>	198
Sect. 4. <i>De partibus genitalibus sēmininis ,</i>	201
Sect. 5. <i>De menstruis ,</i>	206
Sect. 6. <i>De conceptu ,</i>	213
Sect. 7. <i>De materiā fetūs ,</i>	216
Sect. 8. <i>De formatione fetūs ,</i>	219
Sect. 9. <i>De vitā fetūs in utero ,</i>	224
Sect. 10. <i>De partu ,</i>	230
Sect. 11. <i>De actione mammarum ,</i>	233
Sect. 12. <i>De mutationibus quæ fiunt in recēns nato ,</i>	236
CAP. XXIV. <i>De nutritione ,</i>	237
Sect. 1. <i>De nutritione in primo stadio vitæ , cum incremento .</i>	239
Sect. 2. <i>De nutritione in secundo stadio vitæ , seu de statu ,</i>	243
Sect. 3. <i>De nutritione in tertio stadio vitæ , seu decremento ,</i>	244

## F I N I S   I N D I C I S.

